videtur quasi ex corde manare, & in corde tãtùm, vt stabili sede, consistere. Cerebrũ vero, iecur, ventriculus, testes, & reliquæ partes, illarum etiam instrumenta sunt, facultatisque diuersæ in iis mediante calore influente, seu spiritu, exercentur: sentiendi quidem atque mouendi (quæ animales dicuntur) cerebro: chylifica ventriculo: sanguinis gignẽdi hepate, vel potius venis: genitales testibus. Quæ verò speciatim naturalis dicitur (in animalibus certè vitalis, ob vitæ dignioris præstantiam, nuncupata) per singulas corporis partes obitur, illi° eiusdem caloris influentis beneficio, qui cum ex corde proueniat, meritò naturalis facultas [illi] de toto corpori communicari putatur. Hepar verò, vti etiam ventriculus, lien, renes & cætera ventris inferioris viscera, ad materiæ nutritionis præparationem instituta sunt, atque vim qua id efficere possint, ab illo eodem calore influente, seu spiritu, accipiunt: nulla enim vel minima particula eius fauore destitutra, diutius consistere potest. Cùm igitur nihil nisi calore illo influente munitæ partes agere possint, ne viuere quidem, quod est nutriri, altricis facultatis communicatio ex corde ad singulas peruenit: ob id sanè venas arteriæ plerunque comitari solent, vt calor natiuus cuiusque partis à calore influente excitatus atque vegetior redditus, oblatam materiam con-

ficere, sibiq; queat assimilare. Ecquis pars naturalem vim melius communicare valet, quàm quæ talem sortita est naturam, vt calori fixo (cuius opera corpus fuit conformatum) persimilem assiduè producit, præsertim cùm nutritio particularis quædam generatio, & partium conformatio esse videatur? Vnus ergo spiritus seu calor influens est, qui immediatè facultates omnes explicat, variis vtens corporeis instrumentis: cumque is in corde gignatur, non immeritò cor omnium facultatum sedes & origo plurimis visum fuit. Reliquæ partes ad peculiares quasdam facultates obeundas accommodãtur, aliæ ad præparandam nutritionis materiam, aliæ ad sensum & motum, aliæ ad generationem, quarum præstantiores videntur quæ ab aliis aggressam elaborationem perficiunt, vt ex iis facultas ad inferiores influere putetur.

* * *

Universidad de Deusto
Biblioteca



## IN CAPVT II.

*Argumentum.*

*Porrò quòd cibi, &c.* Cum de transmutatione acturus sit, duas antiquorum opiniones erroneas prius refellit, quarum altera statuebat nihil verè immutari, sed à sensibus nostris aliter atque aliter affectis varia deprehendi, vt ab icterico omnia videntur crocea, & quibus os amarica vinum sentitur amarum. Atque hi substantiam quamuis immutabilem esse contendebat, vt qualis ab initio fuit talis semper maneret. Eos vocat sophistas Galenus: fuerunt verò ex professione sceptici, id est dubitatores. Altera fuit Anaxagoræ opinio, qui cum vellet omnia in omnibus contineri, vt in pane sanguinem, ossa, neruos, ligamenta & cætera, nouam substantiæ alicuius generationem non admittebat, sed tantùm latentium & confusarum rerum discretionem fieri volebat, vt calor in ea agēs hæterogenea dissolueret: atque eo modo nullam transmutationem recipiebat. 2 Ne in refutandis eorum sententiis diutius immoretur, hos ad Aristotelis & Chrysippi, nec non Hippocratis (qui omnium primus quomodo & vnde fierent transmutationes ostendit) libros remittit. Zenonis opinionem de substantiarum permixtione attingit, eamq; huc non pertinere significat, admonens se hic tantùm postulare, vt generatio (quam alterationem per totam substantiam vocat) recipiatur. 3 Obiter illorum opinionē confutat hoc argumento, quòd ex solius panis vsu fieri possit sanguis. Ergo ipse Panis erat similaris, neque diuersis partibus constabat. Sic oleum totum in flammam conuertitur, non in res diuersas discernitur, & lignum fit ignis, tum flamma, tū carbo, nulla alia discretione facta. Postremò omissa aduersus illos disputatione, deinceps inquirere statuit, quot & quæ sint naturales facultates, quodque opus singulæ perficiant. Mox quid sit opus, quid actio, & quid facultas explicat, idemq; docet exemplis. Tandem opus etiam pro actione dici posse monstrat, sed non contrà.



*Causam verò à qua hæc procedit, &c.* Facultatis nomen æquiuocum videtur, cum alia ratione alimentorum facultates dicantur, alia medicamentorum & partiū nostri corporis. Alimenta siquidem, quatenus alimenta sunt, nullam agendi facultatem habent, sed tantum patiendi. Medicamenta verò facultatem agendi, nósque immutandi sortita sunt. Eodem modo corporis nostri partes vim alimentorum alteratricem & immutatricem habent. Vnde cōstat aliam esse agendi

*Facultatis nomen æquiuocum distinguitur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



gendi facultatem, aliam patiendi, quod etiam scripsit Aristoteles lib. nono. Metaph. cap.5. Atque agēdi facultas ea esse videtur, quam in prædicamētis qualitatem diuidēs, naturalem potentiam appellat: Patiendi verò, quam impotentiam vocat. Porrò facultas vt hîc sumitur, est causa actionis seu actiui motus cuiuscunque rei, vel (vt definit Gal. lib. Quod animi mores corporis temperiem sequantur) rerum singularum quæ sunt causa quædam effectrix. Nos Fernelij imitati facultatem esse dicimus, eam vim q forma tanquam de sinu suo promit, & ad numerum functiones profert. Quod idem est ac si dixeris, facultatem esse insitam & vernaculam formæ proprietatem.

*Symptoma in uario significatu.*

*Symptoma sine accessoium ac passionem, &c.* Symptoma ab accidenti (quod Græcè συμβεβηκὸς) distinguitur à Galeno lib. 1. Meth. medendi, cap. 9. & in arte parua cap. 8. quòd illud præter naturam, hoc secundum naturam sit. Verùm eam differentiam sæpius ipse confundit. Hîc autem symptoma neque in proprio significatu, neque pro accidenti sumi debet, sed pathemate seu passione qui est motus passiuus. An potius dicendum, & naturales & præter naturā factas actiones, hic simul complecti voluisse? Naturalis actio est motus voluntarius, quod secundum naturam habentib. conueniat. Accidit ossibus transferri quod πάθημα dicitur.



In tremore autem, nō πάθημα, sed symptoma id dici meretur. Sic dū proba fit sanguificatio, probi sanguinis est πάθημα: dum corrupta aut imperfecta, dicendum est σύμπτωμα. Eas distinctiones colligimus ex lib. diff. sympt. cap. 1.

## IN CAPVT III.

*Argumentum.*

*AC mihi quidem tam vana, &c.* Naturalium facultatum causam inquirit, eamque esse affirmat temperiē quę ex quatuor simul qualitatib. pernicitur. Cotrà Peripatetici, & post hos Stoici omnium actionū (& proinde facultatum) causas, duabus tantùm qualitatibus assignare visi sunt, calidæ scilicet & frigidæ. Reliquas enim duas patientes, non agentes, dixerunt. 2 Stoicorum placitis hoc melius conuenire demonstrat, quòd transmutationū omniū causas ad fusionē & concretionē referant. Calor enim liquat & fundit, frigus verò densat. Aristot. verò, qui ad elementorum generatione omnib' quatuor qualitatibus vtitur, easdem omnium quæ à compositis fiut causas assignare debuit, quippe cùm agendorum causa in iis sit quæ substantia coplent. 3 Ad finē Aristotelis scripta conciliat, quòd is voluerit dun

taxat humiditatem & ſiccitatē minus quam priores duas qualitates agere,& veluti ab illis pati,vnde etiam quādoque paſsiuas appellat, quāuis omnes reuera ſint actiuæ,atque id Hipocratis quoq; opinioni cōſentit.

*An facultatū naturalium eſſentia ſit in partium temperamēto ſita.*

*Ob certam quandam temperiem, &c.* Eſſentiam facultatis naturalis ſingularum partium,in earundem temperamento commodo ſitam eſſe,paſsim inculcat Galenus, hoc argumento:Quòd tum demum quæque ſuum opus ſtrenuè abit, vbi ſit temperatiſsima:vnde lib.1.de locis affectis,cap.2. & lib. 3. de ſympt. cauſis, cap.10 pronuutiat, nullius partis functionem,ipſius eſſentias manente illæſa,impediri poſſe.Et lib.de diuerſis morb.cap.6.omnē imbecillitatē,ſiue vētriculi,ſiue venæ,ſiue arteriæ,ſiue muſculi atque(vt ſimpliciter dicam) cuiuſlibet inſtrumenti,tum vitalis,tum animalis, neceſſariò ob intemperiem euenire.nam non quēmeatuum ametria dicit, ipſe nō approbat. Porrò,hæc de facultatibus naturalibus ſolùm intelligi debere,ipſemet declarat cap. vltimo citati lib.de locis affectis,docens ſolis partibus quæ ſentiendi & mouendi vim habent accidere,vt ipſis interdū haudquaquam affectis,nihilominus eorū actio pereat,quod naturalibus inſtrumentis euenire non ſolet. Prius enim ea affici neceſſe eſt, quam actio lędatur.cùm vis naturalis ſit cuique parti inſita,non aliunde influat, veluti animā-



animalis.Cęterum nos qui facultates quaſuis formæ ipſius proprietates eſſe putamꝰ, non magis in partium ſimilarium temperamento facultatis naturalis eſſentiam conſtituimus,quàm animalis in organorum compoſitione. Cur enim ſi temperies iuſta particulæ cuiuſuis,actionum naturalium cauſa eſt,aliarum ſtructura ex ſeſe animales functiones non edet? Galenus certè vbi eandē cum temperamento animam ſeu formam conſtituit, ad temperamentum ipſarum facultatum eſſentiam non malè refert. Hoc enim eſt ad animam ipſam referre, vti nos facimus. Anima verò à temperamento ſic diſtinguitur,vt hoc facultatibus eius naturalibus aptas particulas reddat: quemadmodum ſtructura & certa compoſitio, non in animalibus tantùm organis,ſed etiam naturalibus,plerumque neceſſaria eſt. Siquidem forma ſuas facultates (quas de proprio ſinu expromit)aliàs in partib.informibus,ſed bene temperatis,aliàs in organicis affabrè conſtructis,exercet. Eius præcipuū immediatumque inſtrumentum eſſe docuimus calorem natiuum ſeu ſpiritum,qui facultates illas varias in partibus diuerſis ,p cuiuſque natura explicat, naturales quidē ad vitā neceſſarias in ſingulis,animales verò ad commodiorem vitam inſtitutas,in dicatis inſtrumentis.Atque vt abſurdum foret animalium facultatū eſſentiam (quæ omniuum

Universidad de Deusto
Biblioteca



mnium consensu ab anima pendet) organo rum formationi attribuere, sic non cõuenit facultatum naturalium substantiam ipsi tẽperamento concedere, sed solam aptitudinem, quę faciat vt in similaribus partibus illæ possint exerceri. vnde fit vt violato tẽperamẽto naturalis facultas oblæsa videatur, non aliter q̃ animalis, vbi organorũ deprauata est cõpositio, aut cùm vis ad illa nõ puenit. quippe nisi à corde ppetuò manãs calor singulis partibus applicetur, naturalis facultas cessat, non minus quàm obstructo visorio neruo visus oblæditur. Sed neque diutius cõsistere potest ipsum temperamentum, si quando calor ille natiuus intercipiatur quin mox intẽperies accedat eaq̃ intentiore facta mors: ne quis suspicetur facultates illas naturales tanquam infitas persistere posse, cùm nulla vis ad partes influit. Quæcunque igitur animæ instrumenta offensionem acceperint, deteriores effectus redduntur, præpediuntur q̃ functiones: vt etiam in externis fit artificiis. Cumq̃ temperies sit veluti quoddam instrumẽtum, quod à natiuo calore ad varias actiones accommodatur, nil mirum si temperie vitiata, naturalis facultas exerceri nõ possit. At ex eo quis minimè colligat, temperiem esse naturaliũ facultatum originẽ, aut de reliquis omnib. idem affirmabitur.

IN



## IN CAPVT IIII.

*Aeterũ potentia ea facultate, &c.* Agnita facultatum causa seu origine, quot & quænam sint facultates naturales inquirere proponit. Ad id verò præsciendum ac præmittendũ est, quot & quænam sint actiones ab illis productæ. Porrò actiones ex operibus, vtpote nobis notioribus, colligi possunt. Primùm igitur contẽplanda sunt naturæ opera in viuentibus, vt ex iis actiones, & tandem facultates, colligamus. Adde quòd facultatum numerum assequi non possumus, nisi & actiones & opera contemplemur, cum hæc πρὸς τι dicantur. Eorum enim quæ ad aliquid referuntur, vnius notitia ex alterius cognitione pẽdet: & si quis alterum eorum definitè cognouerit, alterum mox assequetur. Quia verò facultatum secretior est notitia, vt quæ ad vniuersalia magis accedat, ab operibus & actionibus inchoãda est disputatio: Cùm etiam quandiu facultatum essentiam ignoramus, eam actionis quã edere solet nomine, vti notiore, significemus.

*Itaque si certa ratione, &c.* Si ex actionum multitudine facultatũ numerus sit colligendus, vt par sit actionũ & facultatũ numerus

facul-

facultates quandoque aboleri contingat, quæ tamen animæ proprietates ac inseparabilia accidentia à nobis dicuntur. Nam quibus confossi sunt oculi, deerit perpetuò videndi actio, ergo peribit etiam videndi facultas: Quòd sanè verũ esset, si ea vis ab instrumento ipso penderet. Cum verò anima insita sit, potest integra manens non exerceri: interim tamen nobis abolita videbitur, quod actione sola innotescat. Porrò id non efficiet actionum & facultatum parum numerum non esse, cùm de perfectè sano animali intelligantur, quæcunque absolutè dici solẽt. Anima verò mutilati corporis, plures facultates habet, quàm exerceantur.

## IN CAPVT V.

*Argumentum.*

ERgo *naturæ opera, dum adhuc, &c.* Quænam sint naturæ opera proponit, vt ex iis actionum & facultatum numerus colligatur. In prima corporis generatione opera naturæ circa fœtum iam conformatum opera sunt: vti etiam eædem substentatæ alimentis, quò in eadem forma conseruentur. Hæc ex tribus actionum speciebus proue-



niũt, generatione, auctione, & nutritione: quibus totidem facultates respondent.

2 Trium prædictarum actionum naturam & veluti descriptionem proponit, docetq; generationem non tantum fieri per alterationem (quatuor primarum qualitatum opera videlicet) sed præterea formatricem vim requiri: quam diuiniorem habere originem sæpius inculcat. Auctio & nutritio conformatis iam partibus aliquid adiiciũt, verũm per auctionem maior fit moles, per nutritionem verò quanta erat conseruatur.

*An partiũ conformatio ex temperamẽto, vel primis qualitatibus pendeat.*

*Alteratam oportet esse subiectam, &c.* Galenus lib. 1. de temperamentis, cap. 10. dubitare videtur, vtrum quatuor elementorum tẽperiem sequatur partium conformatio, an diuiniorem aliquam supernè habeat originem. De hac nanque Aristoteles etiam dubitauit (vt idem Gal. scribit lib. 2. de temp. cap. 8.) nũquid diuinioris originis sit, atque à calido, frigido, humido & sicco res diuersa. Dubitationis occasio esse potuit, quòd optima conformatio temperiem optimam sequi videatur, veluti causam propriam. Adhæc qualitates primę cõformationi sufficere posse videntur: Calor enim dilatat quæ concaua esse oportet, frigus & siccitas densant & cogunt inspissanda & coarctanda: eadem asperitas inducunt, vt mollitiem atque læuorem humiditas pręstat. Denique adeò efficaces deprehenduntur eiusmodi quali-

Universidad de Deusto
Biblioteca



qualitates primæ, vt modò conueniens detur materia, sufficere videantur ad partium conformationem. His adde Physiognomiã fore mendacem omnino (de qua tamen Aristoteles quoque, rerum naturalium peritissimus, scripsit) si partium corporis delineatio temperiem non sequatur, vti hãc animi mores, quod Galenus vnico libro docuit. Quippe si conformatio mores declarat, id eò facit quòd temperiei subscribat, ad quã illi consequi dicuntur. Verùm his argumentis facilè est respondere. Primùm ad optimam temperiem non perpetuò sequi optimam conformationem, vt Galenus docet libello de optima corporis cõstitutione: Alioqui cur in ea præter exactam temperiẽ, decens particularum omnium structura requireretur? Quòd ad qualitatum efficaciã & conditionem pertinet, eas quidẽ esse admodum conuenientes, quæ subiectam materiam præparent ac disponant, recipimus, & quibus vis formatrix vtatur tanquam instrumentis ad singularum partium conformationem. At cùm tanta sit organorum varietas, & singulorum concinnitas maxima, ab excellentiore quadam potẽtia quàm ipsis qualitatibus primis (imò ne à natura quidem rationis experte, sed prudenti atque sagaci) fabrefacta videri possunt. Ob id etiam Physiognomia non rarò fallit, præsertim cùm ex vnius partis nota de totius corpo-



corporis natura pronuntiare audet, quippe id à natura li analogia prorinus in vtero matris ad inæqualem intemperiem sæpissime est mutatum, vt scribit Galen. lib. 2. de Temper. Naturam enim materiæ vitio plerunque ab instituto & fine aberrare contingit. Quid igitur de hac re statuendum est? Nõ aliud q̃ quod Arist. scitè docuit lib. 2. de generatione & corruptione ca. 9. li. 2. de generatione anim. ca. 1. & 3 li. 4. Met. cap. vltimo. Præter qualitates (inquam) formatorẽ esse aliũ, cui præcipuè actio referri debeat. Qualitates enim instrumentorum tantùm vicem subeũt, vt dum cauitate est opus, vis formatrix calore & spiritu, quæ sese comitari solent, materiã dilatat, haud aliter quã qui vitrea vasa conficiũt. sic ferrum prius igne molle redditur, vt fiat ductile, & percutienti malleo cedat: frigida maceratur, quò durius desiusq; euadat. & quemadmodum neque vitreum vas, neque securim, aut ensem, dicimus factum esse ab igne: sic nec pedẽ, nec manũ, aliúdve instrumẽtũ. Duities quidẽ, mollities, lẽtor, frigiditas, lenitas, aspritudo, & quæcunque similes qualitates partibus insunt, à caliditate, frigiditatéve effici possunt. At ratio qua iam caro vel os est, non potest, sed efficitur à motu proficiscente ab eo quod genuit, quodque actu est id quod potẽtia est id ex quo gignitur, vt inquit Aristoteles. Similis enim est ratio

corum

Universidad de Deusto
Biblioteca



eorum quæ arte parantur. Nam ferrũ molle vel durum efficitur calorę vel frigore, ensis verò ab instrumentorum motu, qui artis rationem obtinet. Ars enim principium est & forma eius quod efficitur, sed in alio: motus verò naturæ in ipso est, ab altera perfectus natura quę actu formam obtinet. Ergo formatrix facultas velut artifex quidam instrumentis conuenientibus instructus, primis illis qualitatibus ad materiæ præparationem conformationemque vtitur. Quibus si formationis præcipuam causam aliquis tribuat, non minus absurdè faciet, quàm si diceret, securim aut serram, aliúdve instrumentum, lecti fabricatorem esse, non artificem ipsum: illa enim tantùm secant, diuidunt, aut perpoliunt, sed manu ducẽte: quæ ars dexterè mouet.

*Vnde est formatrix illa facultas.*

Cęterùm formatrix illa facultas in semine contenta, diuiniorem sapit originẽ. Non enim mixtioni elementorum refertur accepta, sed animæ, vel cælesti cuidam naturæ omnium rerum seminibus infusæ, de qua illud Aristotelis interpretari possit, hominẽ à sole & homine generari. Animam verò seminibus iam inesse constat (rationalem excipi volumus quam cœlitus immitti corpore absoluto, piè credẽdum est) potestate saltem: nondum enim actionibus se esse demonstrat, quia desunt organa. Primum verò sui iudicium præbet in conformatione: dũ immutatricem siue alteratricem ac cõformatricem facultatem explicans primisque elementorum qualitatibus vtens, singulas partes fingit & distinguit sibi ipsi ampli⁹ & perfectius domicilium, ac instrumenta præparans, quibus singulas vires exercere possit. Atque id Galenus significauit, dum scribit lib. 2. de temperamentis, formatricem in natura virtutem, quæ artifex facultas est, particulas secundum animi mores effingere. Hinc patet qua ratione Physionomi ex partium figura de animi affectib. iudicent: nẽpe si obsequentem materiam sortiatur anima seminis, corpus sibi conuenientissimum efformabit, quale scilicet propriæ naturæ atque indoli conueniet maximè. Vnde ex partium forma non modò temperiem, sed & animi mores, vt ex posterioribus priora colligere licebit: quemadmodum ex operibus ipsis in causarum efficientium cognitionem deuenimus. Hîc verò causa effectrix prima præcipuaq; est anima, quę qualitatibus primis particulatim, totaque simul temperie vtens, immutatricem ac conformatricem facultates primùm exercet, quas procreatricis seu genitricis partes, verius quàm species, esse dicimus. His enim duabus illa absolutè completur: Siquidem altera partis vniuscuiusque substantiã qualem cernimus produxit ex semine, ossa videlicet, cartilagines, ligamenta, neruos, & cęteras

teras similares, quòd sine propriæ essentiæ conuersione fieri non potest. Alioqui enim omnia sub seminis forma manerent. Arguit natura nullius materiæ veterem formã seruare solet: quo etiam multò præstantior arte probabitur à Galeno lib. 2. de facult. natur. cap. 3. Hæc dum fiunt altera procreatricis facultatis pars, quæ fictrix, seu formatrix vocatur, non cessat, sed simul ac materia immutatur, figuram illi compagemque & situm propriis vsibus idoneum confert.

*An semen simplex sit an compositum.*

*Quam vtique animalis materiam, &c.* Hic dubitari posset, num semen ex quo tam variæ partes fiunt, simplex sit an compositum. Fernelius libro 7. cap. 9. non esse exquisitæ rationis, & omni ex parte consimile dicit: & capite 10. libri eiusdem, non esse simplex & vniusmodi, quanquam tale apparet, asserit: & in prima conformatione varias partes quæ in semine sunt secerni, cãlidas à frigidis, tenues à crassis & terrenis, vt singulæ ad propriam naturam redeant, & his partibus effingendis suggerantur, à quibus olim decesserunt. Est quidem semen, veluti sanguis & lac, dissimilarium partium: quod tamen nos, ob confusionem vel permixtionem, latet: verùm in semine ipso nemo existimet prius extitisse partes similares, ea forma præditas, quæ deinceps apparet, qui Anaxagoræ opinioni conuenit: sic enim diuer-



diuersorũ secretio tantùm foret, non vera generatio. Quin potius confusas esse dicamus variæ materiæ portiones, ad diuersarum partium generationem idoneas: quem admodum in sanguine reuera dissimilari, nec ossa, nec cartilagines, aut nerui, aliæue particulæ continentur, quãuis huius alia pars ossium, alia cartilaginum, alia neruorum portiuncula tandẽ futura sit. Non enim ex qualibet quælibet suæ substantiæ augmẽtationem accipit.

*An caro vere augeatur, sicut pars corporis.*

*Auctio verò solidarum animalis, &c.* His verbis ab auctione vera excludi videntur caro & adeps, tum quòd partes solidæ non sint (imò neque partes propriè dicantur) & quòd eorum certus accretionis terminus non habeatur, nec ad primam conformationem pertineant: Quinimò peculiari forma sint destituta. Quòd solidæ partes non sint, omnibus confessum est. Adipem verò non esse partem, nulli non assentiuntur: attamen caro in partibus connumerari solet, quãuis nulla ratione magis quã adeps. Siquidẽ omnis pars, seu simplex, seu cõposita, peculiari quadam circumscriptione cõtinetur. Caro verò, non aliter quã adeps, inania spatia quæ inter spermaticas fibras sunt oplet, ipsasq; solidas partes integit: vnde pro earũ cõstitutione ac situ figurã mutuatur. Neque verò aliud est caro, quam concretus sanguis, vel potius densatus vi caloris,

ris,vt etiam adeps. Non enim rationi consonum videtur quod scribit Fernelius lib.2. Physiologiæ,cap.2.adipem à carne hoc differre, quia caro ex conuerso mutatoque sanguine gignatur:Adepsverò ex concreto vi frigoris: quippe frigidum in viuentibus nullius actionis authorest,tantùm abest vt adeò præstantem edat quàm est adipis generatio.Neque verò alia carnis productio esse videtur,quàm adipis, cum vtrumq; fiat sanguine per inanes capacitates fuso ac disseminato,illicque densato: hoc tamen discrimine,quòd pinguior,calidiorque sit adipis materia, carnis verò crassior & terrena magis.Hinc manifestum esse puto, cur nullus sit carnis &adipis augescēdæ terminus, cùm neque propriam circumscriptionē habeant: & minimo negotio ex sanguine hac & illac profluente gignantur.At quib. propriè dicta accretio competit,eorum certus ac constitutus est auctionis finis,vt partib⁹ solidis,quæ post adolescentiam vlteriꝰ crescere nequeunt.Caro verò & adeps toto vitæ curriculo & augeri & minui videntur, pro vberiore aut parciore nutricatione. Postremò cum in auctione requiratur eius figura quam in prima conformatione quævis pars accepit,conseruatio, adeps verò & caro neque à prima conformatione sint, neq; certā figuram habent, accretione propriè dicta minimè augescunt.

IN



## IN CAPVT VI.

ERgo *primùm de generatione, &c.* Generationis opera vnde fiant, ostendere aggreditur:quia ordine naturæ ea sunt prima. Materia corporis organici præparatur à natura genitrice, quæ vtitur quatuor illis qualitatibus primis,& summè efficacibus,quas elementa prima obtinent. vnde particulæ omnes iisdē qualitatib. præditæ inuicē differunt, prout maiorē aut minorē huius vel illiꝰ retinent.differunt quoq; aliis qualitatib.quæ ex primis oriuntur, tactilibus,gustabilibus,odorabilibus, atque visilibus. 2 Hinc pendet origo facultatum alteratricium,& materiam subiectam præparantium ad formationem,quæ quidē in singulis partibus similaribus & simplicissimis (proindeque elementis ad sensum vocatis) peculiares sunt: quibus præditæ seipsas alere,& simile quid producere valēt,earum veluti elementa sunt, facultates primæ elemētis insitę,calefaciendi scilicet,refrigerandi, humectandi & siccandi, ex quarum contemperationis modo reliquæ particulares consurgunt. 3 Itaque natura quæ in semine inclusa est,singulas partes creat,vtens alteratrice illa vi, quæ excalfactoria,refrigeratoria,humectatoria, & exsiccatoria peculiariter

*Argumentum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



liariter exercetur: tum iis quæ ex illarum permixtione consurgunt, ossifica, neruifica, &c. 4. Porrò quot particulares sunt facultates alteratrices in quouis animali, totidem sunt actiones cuique particulæ similari propriæ, totidemque vsus. Est denique singulis sua & peculiaris substantia, qua vtique facultates illæ alteratrices (quæ particulares sunt omnes) effecerunt, qualis est. At figuram situmque, altera virtus effinxit quam formatricem vocamus, quæ summa & optima est ars, nihil frustra faciens, omniaque ita disponens vt melius haberi nequeat.

*An vena similares fiat.*

*Ergo os, chartilaginem, &c.* Cùm passim venas & arteras inter similares simplicésve partes enumeret Galenus, in libro tamen de inæquali intemperie de earum simplicitate dubitare visus est: quod certè reuera simplices non sint, sed ex fibris & membranis compositæ, vt in administrationibus anatomicis explicat. Verum simplex atque similare bifariam dici solet: nempe ad sensum, aut rei naturam. & sensus quidem iudicio, non solùm vena & arteria, sed & neruus & tendo simplicia & similiaria dicuntur: cum, si exactius partiri volueris, neruum ex medullari quadam substantia & duplici tunica, tendonem verò ex neruo ac ligamento conflatum esse deprehendes. At primo



primo intuitu hæc simplicia esse putantur, quod nullam particularum differentiam in iis visus discernat. Ob id quoties Galenus talia vocat simplicia & elementa, sensibilis nomen addere solet, vel sensus iudicio. Quòd si omittat, vbique supplendum venit. Cæterùm quia ex similaribus ad sensum quædam verè talia sunt, quædam ante diligentiorem quidem diuisionem apparent simplicia, facta verò exactiore inquisitione composita deprehenduntur: simplex ad sensum pars rursus distinguenda est, in eam quę huiusmodi videtur, primo intuitu. vt vena, arteria, neruus, tendo, ventriculi, vteri, & similium quæ villos habent substantia: & quæ post diligentiorem inquisitionē talis est, vt os, cartilago, ligamētum. Quòd si rei cuiusque naturam ad amussim examines, nulla sanè corporis particula simplex erit, cùm omnes in quatuor elementa resoluantur.

*Vt cap. 3. lib. de diff. morb. & cauſ. ca. 4*

*Ex gemmis constant tunicis, &c.* Χιτὼν proprièst tunica, siue integumentum, ὑμὴν verò membranam significat, seu pelliculam. Est igitur materiæ vel substantiæ nomen hoc, illud verò officii ac muneris: vt cùm dicimus cordis tunicam ipsum Pericardium, Caluariæ Pericraneum, ossium Periosteum cerebri menynges. sic hepatis, renum, lienis & pulmonum tunica

*Tunicæ & membranæ discrimen.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



est,quæ illas partes inuestit membrana: Musculi etiam singuli tunicas obtinent. Ventriculus autem duplici membrana constat, præter quam mutuatur à peritoneo tunicam,vt etiam intestina, vterus, & vtraque vesica vnicam sortita sunt membranam,quę tunica inuolnitur. Est verò tunica omnis de membranarum genere, at membrana quæuis tunica dici non potest: vt quæ viscens alicuius substantiam constituunt,non aliquid inuoluunt,vt ventriculi membranæ. Verùm hęc differentia passim confunditur, quòd vel hic locus ostendit, vbi tunicas & membranis accipit.

*Facultates partib. inesse quæ dicantur.*

*Atque in vtraque tunica sua,&c.* Vis alteratrix,vt quæcunque alia facultas, non ipsis partibus, sed formæ inest, veluti proprietas quædam. Cùm ergo dicimus in tunica esse alteratricem quæ eam partem generauit,idem est ac si diceremus, vim alteratricem in tunica demonstrari tanquam opere proprio.sic animam(quæ simplex est,& tota in qualibet corporis parte) rationalem quidem & sentientem in cerebro, naturalem verò cordi inesse pronuntiamus.

*An partes omnes ex sanguineo tum habeant.*

*Quæ ex menstruo matris sang. &c.* Galenus commentario vigesimo sexto, in librum de natura humana, explicat quomodo sit accipiendum, quod nonnunquam partes omnes ex sanguine prouenire dicantur. Quia enim,inquit,exigua seminis moles est quæ



quæ in vuluas coniicitur, nutrimentum verò ipsi & incrementum ex sanguine obuenit, ideo quis particulas propemodum ex sanguine conformari dixerit. Sed an vera sit ea opinio, discutiemus libro secundo, capite tertio,vbi partes solidas, quamuis sint ex angues, ex sanguine tamen fieri docebit Galenus. Aliam prædictæ propositionis interpretationem adfert ipsemet in citato commentario: scilicet ob id partes omnes ex sanguine constitutas dici posse, quòd ex sanguine testium vi semen gignatur: ex semine verò partes nostri corporis in vtero formentur. Quæ ratio longius petita videtur, quàm demonstrari conueniat.

*An formatrix facultas absoluto fœtu pereat.*

*Eam particulam generauit.* Ex his verbis colligas vim formatricem absoluto fœtu non perire,vt plerique existimant. Si enim alteratrix facultas quæ partes generauit ipsis nunc est,cùm hæc sit altera procreatricis veluti pars, quis dubitat procreatricem quoque adesse? Quòd si procreatrix, & formatrix etiam inerit. Formatricem verò & immutatricem perpetuò manere facilè est intelligere, si quis cogitet facultates animæ proprietates esse,adeoque inseparabiles qualitates: & non aliam esse quæ in prima conformatione dicta est procreatrix, quàm quæ deinceps assimilatricis nomen retinet. Illa enim ex semine oblato varias partes finxit,alteratione & formatione

Universidad de Deusto
Biblioteca



matione vtens: hæc genitis particulis idem præstat, dum ex alimento variè immutato varias portiunculas assiduè componit, quas in locum assiduè pereuntium substituat. vt rectè dicas nutritionem (cuius finis est assimilatio) particularem quandam generationem esse. & quid aliud procreatrix sibi proponit, quàm corpori, à quo semen decessit, assimile corpus efficere? vt inde probes assimilationem huius quoque finem esse. Adde quod eiusdem artis est aliquid primum condere, & conditum instaurare atque tueri. Latomus domum ædificat, eidemque conseruandæ præficitur. Idem artifex calceos facit, atque reficit, eadem scientia corpoream sanitatem acquirere & conseruare docet. Eadem planè est facultatum animæ ratio, vt quæ corporis partes formauit, iisdem ad vltimum vsque diē vitæ præfecta corporis integritatem procuret. Quod æquè industrium est ac nouas fingere particulas, vt non minor est virtus quàm quærere parta tueri. Porrò assimilatricem vim circa partes aliquid semper moliri, quo earum figura minimè labefactetur, id satis constat ex eiusdem imbecillitate per senectutem & morbos, præsertim verò elephantiasim. Cùm enim assimilatrix corporis vitio finem suum non assequitur, sensim deprauatur figura, vt inde discas ab ea facultate corporis formam conseruari.



seruari, imò elegantiorem reddi, dum materiæ copia & bonitas illi suppetit, atq; instrumenta bene obsequuntur. Obiicies, Cur non igitur spermaticæ partes semel de perditæ restitui possunt, si procreatrix facultas semper adest? Non enim materiæ inopia hoc accidit, cùm illæ nutriantur semine, vti ex semine ortum habent. Quod Galenus libro primo de semine, cap. 16. rectè pronuntiauit: Omnibus, inquam, solidis animalis partibus è semine tam generationē quā nutritionem esse. Respōdeo, Materiam ex qua singulę partes initio, cōformatę sunt omnino absumptam: vnde cum nihil eius quæ communis fuerat omnib. proposita supersit, nihil etiam regignitur. Nam solidæ partes iam formatæ substantiam quidem sibi similem continuò producunt, sed quę nō sufficiat nouæ gignendę parti: Cumq; singulæ sui conseruationi tantum incumbat, quo vel augeantur vel pro defluxa portiuncula aliam restituant, si qua prorsus perierit, nō est quæ illi producendæ materiam conficiat & elaboret. Nerui enim abscissi portio quæ remanet sibi vni nutriendi studet, vt integra conseruetur, atque (si in adolescentia fuerit) ad aliarum partium proportionem augeatur. At carnosæ partes, quoniam hepar sanguinis omnibus cōmunis copiam gignit, facilè restituuntur. Ex quo etiam licet procreatricis facultatis præsen-

*Cur spermaticæ partes non restituantur.*

præsentiã atteſtari. Ea enim cauo vlceri me detur, qui morbus eſt in figura. Nam cauitatem ad figuram refert Galenus libro de differentiis morborum. hæc autem aſsimilationis vi reparatur in carne. Siquidem per nutritionem ex ſanguine caro facta vlcus implet. Cùm igitur procreatricis atque aſsimilatricis idem ſit finis, idemque effectus, cumque immutatione & figuratione vtraque ſimiliter vtatur, quod in carne eſt euidentiſsimum: conſtat quæ deinceps aſsimilatrix vocitatur, initio procreatricis nomen habuiſſe, quoniam tunc longè manifeſtiora illius eſſent opera. Quamobrẽ formatrix integra, & minimè otioſa, perpetuò manet. Cæterùm facultates nullas perire aut aboleri poſſe, ex eo primùm dicetur, quòd ſint vernaculæ & inſitæ ipſius formæ proprietates. quippe ea eſt proprii natura, vt ſeparari nequeat, licet accidens dicatur. Poſſunt tamen quædam facultates ab opere ceſſare atque feriari, ſcilicet cum deſtructa fuerint, quibus exerceri debent inſtrumenta: interim tamen anima iis inſtructa manet, vt in decrepito non minus integra ſit videndi facultas, quàm in iuuene: ait ei iuuenilem oculum ad perfectam actionem requirit. Quòd ſi admittas pereuntibus actionibus, facultates quoque intercidere, hinc ſequetur animalium fœtus longè imperfectiorem animam plerumque ſortiri

*facultates nullas perire poſſe.*



tiri, quòd in parentibus aliquæ facultates iamdudum exolutæ videantur, vt auctrix. Nam demus canem adultum catulos gignere: ſi parentis anima vim auctricem iam amiſit, vnde illius ſemen augeſcendi facultatem accipiet: nónne ſeminis & eius ex quo deceſsit vires ſunt eædem: ſed in ſemine latentes, in animali verò iam explicatæ? Idem ſanè accidet quòd dum parentum corpus eſt mutilũ, vt ſæpe claudi claudos gignant: ſic quibus non eſt amplius augeſcendi facultas, eorum fœtus nihil augebuntur. Quinimò neque abſolui poterunt, ſi ſemen auctius reddi debet ſanguine affluente, quo ſingulis partibus formandis ſufficiat, vt cenſet Galenus. Id enim eſt auctionis opus. Quid quòd neque fœcundum erit vllum ſemen, ſi procreatricem vim iam emiſsis dentibus periiſſe dicamus? Nam ſi à corpore abeſt, ſemen quod ab eo ſecernitur, vnde vim gignendi accepit? Nemo dat quod non habet, vt vulgò dicere ſolemus. In nullo autem ſemine vim vllam continere quæ parentibus non inſit, facta inductione promptè colligitur. Neque verò eam procreatricem dici volo, quæ in adultis ſemen conficit, & in fœtus conſtitutionem exhibet, vt doctè annotauit Fernelius lib. quinto Phyſiolog. capite tertio, ſed quæ ex conuenienti materia corpus ei ſimile fingere poteſt à quo originem duxit. Hæc ſi

*Gal. lib. 1. de ſemine, cap. 5.*

deſit

desit adulto, semen quodcunque irritum esse necesse est, aut certè eo ex quo profectũ est, longè perfectius: quod planè absurdum ac ridiculum videtur. Non ergo pereunt, imò neque refranguntur aut hebetescunt, nullamq; sui iacturam faciunt, animę cuiusque vires, sed integerrimæ & constantes ipsam perpetuò comitantur. Neque enim deseruit animal, neque suarum facultatum quas insitas habet, oblita est Natura, vt inquit Galenus cap. 11. libr. primo de semine. Quippe cum eas non aliunde acquisiuerit, sed ex semine habuerit: amittere nullo modo potest.

*Stomachi quid propriè significet.*

*Quitanquam stomachi quidam*. Stomachus propriè Græcis est cuiuslibet ventris seu cauitatis præposita ceruix, instar isthmi angusta, vt Galenus explicat libro quarto de vsu partium. Post Aristotelis verò tempora, ꝑ œsophago dici cœpit, vt testis est idem Galenus lib. 5. de locis affectis. Galeni etate ad os ventriculi translatum fuit stomachi nomen, vt ipse refert citato libro de locis affect. & de curandi rat. per sang. miss. Tandem pro ipso ventriculo abusiuè dici cœpit, quod in hunc vsque diem obseruatur.

* *
*

I N



## IN CAPVT VII.

*Argumentum.*

*Iam ad auctricem facultatem conuersi, &c.* Auctricem facultatem quæ generatrici succedit, etiam in cõceptis vtero locum habere vnà cum nutrice, admonet. At tunc temporis euidentiora sunt à formatrice & alteratrice edita opera, quàm vel auctricis vel nutricis effectus, maximè interim dum formatur infans. Nam semen augeri atque nutriri, vt sufficiat toti corpori construendo, putat Galenus. Absoluto verò corpore, etiam intra vterum (non modò extra) incipiunt solæ apparere agentes nutrix & auctrix: & auctrix quidem ad vigorem vsque dominatur, primasque tenet: auxiliatur ei assimilatrix, siue alteratrix, quæ nutricis finis est. 2 Auctricis verò proprium est solidas partes iam conformatas in longum, latum, & profundum diducere. Id autem solius naturæ opus esse (vnde naturalem facultatem rectè dici auctricem colligas) exemplo familiari docet. Hinc tandem infert, iis quæ verè augentur necessariam esse nutritionem, cum nisi quę extenduntur reficias, falsam augmenti speciem præbeant. Nam quæ nos extendimus, quantum in vna dimensione assumunt,

tan-

Universidad de Deusto
Biblioteca



tantùm in aliis amittant: nihilque potest in omnem dimensionem proferri, sua continuitate seruata, citra affluens adhærensque nutrimentum.

*Auctionis quatuor cõditiones*

*At quid igitur ipsius auctricis, &c.* Gignitur popri è quod ad nouam substantiam progreditur: Augetur verò iam ortum & integram formam obtinens, dum eadem forma manente quaquauersum porrigitur, corporis soliditate aut continuitate nihil immutata. Has quatuor conditiones proponit Aristoteles libro primo de generatione & corruptione, capite quinto. Easdem Galenus hîc obseruat. I. Quòd ad primam attinet, si nondum adsit forma integra, vt dum ex semine partes animalis fingũtur, non augeri, sed etiamnum conformari corpus dicetur. Sic quum domus exædificatur, non accretio, sed constitutio quędam fit, nempe ad formam progressio. II. Altera conditio est vt forma eadem permaneat. Si enim perit, vt dum aqua raritate diffusa vertitur in aerem, illius corruptio quædam fit, non accretio. Eadem ratione cibus corpori appositus & assimilatus, minimè augeri dicitur corporis adhæsione, sed contrà illius accessione corpus augetur, Si quidẽ huius forma integra manet, illius verò est deperdita dum in nostrã substantiam conuersionis est. Neque idem augeri



augeri dicetur si quãdo flatus euadat, quia neque hic propriam formam retinet, vt citato loco monet Aristoteles. Idem enim fit dum aqua in vaporem dissoluitur, quod accidit corruptione. Tertiò requiritur vt in III. omnẽ partem fiat ampliatio, siue (vt loquitur Aristoteles) eius quod augetur quæuis pars augeatur, & quoduis sensibile signum maius euadat. Nã quod in longitudinem tãtùm profertur, extendi, vt quod in latũ porrigitur dilatari solemus dicere, & incrassari quod spissius densiusq; redditur. Cæterùm longius latiúsque efficere corpus nobis etiam concessum est, non tamen cum iis cõditionibus simul densus reddere. Nã si crassus euadat, aut breuius aut angustius fit, vel simul vtraque dimensione contrahitur. sola natura potest omni ex parte corpus extendere, vt verè maius euadat: magnitudo siquidem trinam dimẽsionem complectitur, in qua auctio propriè dicta, & naturalis cõsistit. Vltima conditio est, vt partium soliditas & continuitas seruetur, atque vt scribit IIII. Aristoteles, corpus non sit inane. Siquidem intumescere aliquid potest, & longius latiusque euadere: quia tamen eius densitas & soliditas admittitur, id nõ verè auctionem recipit, vt aqua si raritate fundatur (quamuis suam insuper formam retineat) rarescere veriùs quàm augeri dicetur, quia pristinam soliditatem non retinet. sic mam-

Universidad de Deusto
Biblioteca



marum & aliarum partium tumor nõ propriè incrementũ vocatur, propterea quod particularum continuitas seu contiguitas (nam hęc pro eodem pars im vsurpãtur) nõ remanet, sed diuelluntur partes, & distenduntur præ nimia plenitudine, ac tentione, vnde grauissimus dolor concitatur. Hic dubitari posset, num accretio longitudinem magis vel solùm innuat, cum illi duntaxat augeri dicantur qui fiunt proceriores, non qui crassiores euadunt? Fernelius lib. 5. Physiolog. cap. 3. scribit quandiu ossa crescunt, animal pariter vniuersum crescere, quanquam idipsum fortasse tum macie extabescit. Quibus verbis actionem in longum denotare videtur. Nam & hoc sæpe fit, vt pueri intra paucos menses euadãt procceriores, interim dum eorũ corpora emaciari videntur. quod etiã vulgò cognitũ est. Cùm enim puerum obseruant macriorem, id accretioni referunt acceptum. An ossa corporis proceritatem verè constituant atque definiant, quod illius fulcra sint, non tamen ea sola crescũt, sed partes simul omnes, neque duntaxat in longum extenduntur, sed in latum atque profundũ. Illud tamen solùm est conspicuum, quia partes solidæ tum carne tum adipe occultantur: atque dum maximè augeri valent membra, tum parum carnis & adipis coaceruatur, quia facultas auctrix circa partes solidas præcipuè.

*Num accretio longitudinem præcipue, vel solum innuat.*



præcipuè versans, eorũ augmẽtationi prorsus incumbit, vt quàm fieri potest amplissimè euadãt interim carnis & adipis minus fit? quòd sunt ex superfluo alimẽto, eò scilicet quòd in partium incrementum accommodari nequit. huic videtur colliquari & contabescere corpus, quoniam carnis & adipis moles facilè dissipabilis nõ æquè restituitur, cùm naturę præstantiori operi incumbere datur. Ergo dum ossa crescũt, indicio est cæteras quoque partes adolescere, quę plus lẽtoris & mollitiei sortitę sũt. Interim tamen corpus reliquum potest emaciari soli carnis adipisque inopia, cùm solidæ partes omnes crassescant.

*Vocantur autem sic solidæ corporis part. &c.* Τὰ στερεὰ dici partes solidas hoc loco monet Galenus, quæ omnes sunt spermaticę. Excludit verò carnem & adipem, quòd illis adnasci tãtùm videatur, neque verę sint partes, vt supra docuimus. Proinde non simpliciter in maiorem carnis molẽ atque tumorem dilatatur & pinguescit, is augescere dicitur: nisi fortè raporũ modo (vt est in proverbio) videlicet in crassitiẽ. sed præcipua increméti ratio ad solidas animantiũ partes, maximéque ad ossa, pertinet. Tũc enim incrementũ omne sistitur, cum ossa per sicc itatẽ nõ vltra sequacia sunt, vt ait Galenus lib. 1. sanit. tuen. cap. 2. Porrò quas nos solidas, Gręci στερεὰς significãtiùs vocant, id est firmas

*Solidæ partes quænam sint.*

pag. 35.

*Solidæ partes cur ita vocentur*

Universidad de Deusto
Biblioteca



firmas & constantes. Non enim solidas eas dicimus quod nihil cõcaui aut vacui habeant (quę frequentior est solidi significatio) cùm ossa plurima, venæ omnes & arteriæ eo modo solida vocari non possunt, sed quia minimè fluxilis mutabilisve substãtię sunt, veluti caro & adeps. Horũ siquidem accretio, atque diminutio varia breui momento fit. Quę verò solidę nuncupantur, adeò firmam constitutionem habent, vt etiam corporis habitus mereantur appellationẽ, quo significatur permanens & constans conditio. Easdem spermaticas nominant, quia ex semine tanquam materia prouenerunt, cui etiam colore respondent: apparẽt enim candidę, & vt vocari solent, exangues. Sunt ergo synomina hæc, quę pro diuersis rationibus eandem rem denotant, partes solidæ, corporis habitus, partes spermaticæ, & exangues. Cęterùm quęri potest, num pili & vngues vera accretione augeantur, cùm tamen solidæ partes non sunt, imò ne partes quidem, sed potius excrementa quibus ad decorem & ornatum corporis natura abutitur. Maiores siquidem fieri videntur, & in omnem dimensionem excrescere. Pueris enim simul cum digitis vngues in lõgum atque latum increscũt, pariterque in profundũ, nam ætate crassiores durioresque euadunt. Eadẽ est ratio de pilis, qui prouectis ætate quàm pueris vt longiores ita crassiores sũt & rigidiores. Adde quòd vngues & pili nõ crescunt in immẽsum, sed definitam incrementi legem & metam habẽt, quemadmodum & stirpes. His duabus rationibus ita propositis, Fernelius priori quidẽ satisfacit docens .lib.2.capit.2. pueris ætate procedente pilos & vngues reddi latiores & crassiores, quòd partes etiã à quibus prodeunt ampliores euadãt, excrementumque tandem accipiãt siccius & adustius factum. Hoc verò non naturæ attrahẽtis beneficio, sed excernentis vi aliorum radici adiungitur, à qua duntaxat increscunt, non singulis suis partibus, quod fieri debet in vera augmentatione. Alterius rationis solutionem nõ habet Fernelius, imò inexplicabile problema esse putat, qui fiat vt cùm ad iustam magnitudinem peruenerint pili, non vltra promitti trahique possunt, tametsi materia semper ad radicẽ suppetat? Nam derasi vel præcisi mox subnascũtur. Assequuti verò pristinam suam longitudinem, vlterius non prouehuntur, si nunquam illis ad radicem deest materia, quî fit vt in immensum tandem non luxurient, & grandescant. Id vnum ex his est, in quibus non aliud quàm mirari liceat Dei & naturæ prouidentiam, inquit. Nos verò huius effectus proximam causam referimus ad facultatis expultricis rõbur, quod in diuersis partibus atque coporibus diuersum esse solet. Hinc enim fit,

*Vtrũ pili & vngues vera auctione augeantur.*



*Cur pili & vngues suam assequuti longitudinem non vltra proferuntur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



vt aliis procerior barba naſcatur, ſcilicet quibus circa totam maxillam inferiorem maior vis eſt excernẽdi illius fuliginoſi excremẽti, quod pilorũ eſt materia. Aliis vbi ad duos vel tres digitos aucta eſt barba, nõ vltra propellitur. Eadem ratio eſt omnium pilorum qui in diuerſis corporis partibus oriuntur, aliis longiſsimi, aliis breuiores multò, pro varia facultatis expultricis potentia. Non enim materiæ defectu accidit, quominus cunctis fiant longiores pili, cùm ea ſemper radicibus adſit parata. id tãtùm deſiderari poteſt quod materiam ſuggerit atque protrudit nempe expultricis facultatis robur, cuius vnius eſt pilos (qui ſunt de genere excrementorũ) diffundere. Hunc tamen coniuncta materiæ vbertas efficit, vt pili citius priſtinam magnitudinem cõſequantur. Pilorum igitur & vnguium non eſt vera accretio, cùm non quoquouerſum ampliẽtur, ſed ab radice ſolùm noua accedente materia vlterius protrudantur. Atque iis cõſtituti limites ſunt à facultate expultrice validiore aut imbecilliore, ad quos peruenire quidem licet quamuis ſæpius abradantur, prętergredi verò nõ datur. Eadem ratio eſt carnis & adipis producẽdæ, quorum auctionem indefinitam eſſe, & nullo termino limitari, antea docuimus.

*Num carnis & adipis augendæ meta ſit aliqua*

Quæ verba nõ ſunt ita accipiẽda, quaſi vellem in immenſum excreſcere poſſe, tũ carnem, tum adipem, nullamque ſui incremẽti legem & metam habere. Nam omnium quæ natura conſtant eſt finis & ratio tam magnitudinis quàm accreſsionis, vt inquit Ariſtoteles lib. 2. de Anima cap. 4. At nullum eſt vitę tẽpus in quo tum caro tum adeps increſcere & diminui non videatur. Partium verò ſolidarum accretionis tempus eſt definitum, vltra quod ne minimum quidem extendi poſſunt, atque id tempus adoleſcentiæ ætate eſt definitum. Nullus igitur ſecundum tempus eſt terminus carni & adipi conſtitutus, quin omni ætate excreſcere poſſunt, vt pili & vngues. Terminus verò ſuæ magnitudinis eſt præfinitus, vltra quem proferri non valeant, & quem perpetuò liceat repetere, modó nihil obſit. Hinc manifeſtum ſit quàm ſit ſimilis pilorum, vnguium, adipis, & carnis conditio, quorum nullæ partes corporis rectè dicũtur, ſed poſteriora quidẽ ex laudabili ſuperfluitate alimenti coaceruata, partibus ſolidis apponuntur, vt eas muniant, foueant, & ab externis iniuriis tueantur: priora verò duo ab excremẽtis fuliginoſis tertię cõcoctionis proueniũt, & præter vſum quendam, ornatum etiam corpori præſtãt. Horum verò nulla augeri, propriè dicta accretione, iam ſatis ſuperque probatum arbitror.



*Quippe ſi extendantur huiuſmodi* Incrementũ *An increfieri*

Universidad de Deusto Biblioteca



*mentum) ex posse, licet non fiat vberior alimenti accessio quam propriæ substantiæ decessio.*

fieri posse, licet non fiat vberior alimēti accessio, quàm propriæ substantiæ decēssio, putat Fernelius, qui Auicennæ contrariam sententiam duplici argumento refellere nititur. Primùm quia plerunque cernimus adolescentes febribus diuturnísque morbis oppressos, grandi macie torreri atque attenuari, qui tamen incrementum capessant. Deinde ex eo quòd pleriq; licet vberrimè se saginent, atque pinguescant, nunquam tamen liberalem illam proceritatē attingūt. Vnde concludit nutricem facultatem ab auctrice functionibus & editis operibus plurimùm dissidere. Quòd etsi recipiamus, nō tamē sequitur verū esse, facta auctione partium (vt ille scribit) nutricem, non modò quantum effluxit, sed & largius ac fusius nutrimentum assimilare, quò laxiores factas capacitates affatim impleat. Quid enim laxiores capacitates dicit, cùm in vera accretione corpus non fiat inane, vt ex Aristotele paulò ante docuimus? Nónne ita augentur partes omnes, vt perpetuò suam retineant soliditatem? Sed quid affatim implere est opus, cùm, si quæ sint inanitates, eæ sēsim acciderint? Nam auctio pedetentim fit, vti omnibus constat. Plurimùm verò & affatim euacuare aut implere, est naturę inimicum, vt pronuntiauit Hippocrates. Pleniorem vberiorémque nutricationem non esse eam accretionem quam proponimus, neque

*Lib. 2. Aphor. 51.*



que illi perpetuò tanquam comitem assidere, & nos ipsi fatemur, & Auicennas concederet; quippe cùm nutritio plenior esse possit, quæ tamen solidas partes non amplificet. ex his tamen non concluditur, accretionem fieri sine accessione copiosioris alimēti, quàm sit propriæ substantiæ dissipatio. Nam si minus reponitur solidis partibus quàm absumitur, qualis erit hic auctionis modus? Nēpe quā hic Galenus appellat falsam quandam augmenti speciem. Accretio enim fit accedēte quopiam quod sit corporeum, inquit Aristoteles lib. 1. de generati. & corrupt. cap. 5. Fernelius autem videtur existimare partes diduci, atque extēdi solo calore & spiritu, vt dum vitra insufflātur, quod de venis & arteriis tātùm scripsit Galenus, quę tamen solùm dilatari, non accrescere, spiritus ipsius flatu, dixit. Quæso, nerui, ossis, cartilaginis, & reliquarū partium substantia qui augeri potest, ni alia similis addatur? Parcior quidem nutricatio respectu carnis & adipis, quæ minuūtur, erit: nō tamen collatione partium solidarum quæ adaugētur. His enim plus necessariò apponitur, quàm ab iisdem vi caloris dissipetur, vt sit prorsus vera Auicennæ sententia. Porrò caro & adeps fiunt copiosiora cumprimùm solidis partibus (quæ veræ sunt partes) alimentum superesse incipit. Solidis enim primùm conceditur quod illis conuenit.

*lib. 1. sanit. tuen. cap. 2*

Universidad de Deusto
Biblioteca



nit. Ex abundantia caro deinceps fit, & tandē pinguedo. Hinc patet, accretionē (quæ circa solida attenditur) posse non impediri, cum tamē carnis & adipis copia desideretur.

## IN CAPVT VIII.

*Argumen.* *Quo magis de ipsa nutritione quæ reliqua, &c.* Nutrix facultas quæ auctricē comitatur, quomodo fiat, docet, nempe alimento propriè dicto omni particulę affixo. Cùm verò nutritio sit alterationis species (per hanc enim à priori statu & conditione corpora immutantur) non minus quàm generatio, ea ratione differunt, quòd illa enti cōpleto accidat, idque conseruet, illa verò ad integram substātiam mutatio sit, per quam fit ens ex non ente. Proinde assimilationis nomine continetur nutritio. Alia verò ppriè generatio vocatur.

*Prima ne an vltima sit facultas nutrix.*

*Quæ reliqua est & tertia, &c.* Si verum est quod docet Galenus libro secundo facultatum natur. capit. 3. semen nutriri & augeri sanguine materno, prius quàm formatricem vim exerceat, ordine naturę facultatum prima erit nutrix, secunda auctrix, & tertia procreatrix. Verùm quoquomodo id fiat, quia procreatricis opera sunt initio magis, quàm reliquarum facultatum conspicua, ideo prima omnium cōstituitur, secūda verò



rò auctrix, quòd nutrix etiam dum sub ea latitet. Quum verò nihil iam amplius aperte formatur, vel augetur, sed in eodem ferè statu partes conseruantur, sola nutrix manifestam se prębet. ob id tertio & vltimo loco numerari solet. Adde quod si nutricem & auctricē exercet semen, iis vtitur, ceu ministris ipsius procreatricis (quod primum est naturæ institutum) veluti auctioni inserunt nutritio.

*Cum id corporis eius quod nutritur, &c.* Cùm duo præcedant assimilationem eius quod nutrit ad id quod nutritur (quæ vera est nutritio) nempe alimenti applicatio, & agglutinatio, seu adherentia, vt capite vndecimo docebit Galenus, non est quod hic dictionem [affigitur] pro applicatione vel agglutinatione sumamus, quæ sunt præuia tantùm nutritionis dispositiones: sed pro ipsa alimenti transmutatione ac conformatione particulari, quam vox Græca προσπλάσις melius significat.

*Non tamen talis qualis erat in gener. &c.* Aristoteles lib. 2. de anima, cap. 4. docet generationis & nutritionis discrimen, quod nutritio genere, non id quod nutritur, sed talem substantiam qualis est quæ nutritur. Ea enim iam adest cui per nutritionem aliquid perpetuò adiicitur. Est quidē nutritio non absolutè, sed tamen propriè generatio, cùm per eam fiat nouæ formæ acquisitio

*Generationis & nutritionis discrimen & conuenientia.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



sitio. Nam quod Panis erat, nunc ossis particula euasit. Verùm quia nihil fit integrum & absolutũ, neque ad subsistãtiã se suis viribus substinentem & solitariam mutatio est, sed ad eam tantùm quæ pars sit alterius, nõ absolutè & simpliciter dicta generatio est, sed quodãmodo particularis, qua inde nutritionis appellationem meretur, vt sit motus ad substantiam alteri iam per se consistenti adherentẽ. Porrò circa nutritionem dubium occurrit, vtrũ sine hac possit animal vel planta viuere, cùm ista sese mutuò consequi dicantur, animatũ esse atque nutriri. Attamen constat nonnullos ἀσίτους, hoc est à cibo abstinentes, per multos annos vixisse: serpentes, lacertos, glires, & alia pleraque animalia, totam hyemem sine cibo transigere: plantas quasdam, vt cẽpas, aizoon, & similes ex terra euulsas multos mẽses nullo cibo sustentatas viuere posse. An sine cibo quidem & potu animalia quædã multo tempore producere possunt, non tamen sine alimẽto, cùm eorum calor natiuus valde imbecillus humore aliquo sustentetur, interim dum ieiuna manent? Cibum & potum ab alimento hîc distinguimus explicationis gratia, vt illa sint quæ primò ingeruntur, hoc verò paulò pòst futurum vere nutrimentum. Sic apud Græcos σῖτος quod ãssumitur. τροφὴ quod actu iam nutrit, vel parum abest quin nutriat, dici potest. Homines ve-

*An sine alimento quis diu viuere possit.*



nes verò quosdam, & animalia, & stirpes sine cibo diutius viuere, quia crudo multo perfruuntur alimento, & corũ calor natiuus est languidior, nos Decadis 1. Paradox. 2. fusissimè explicauimus, vt verum esse deprehẽdas, animãs omne quod vitam degit, nutriri quodammodo, siue firma id, siue ægra sit valetudine. Nũquam enim otio perfruitur illa vis altrix: Vnde eam planè naturalẽ esse colligimus, vt doctè annotat Fernelius cap. 3. lib. 5. Physiologię.

## IN CAPVT IX.

*Quoniam autem de tribus naturæ facultã, &c.* Tres præcipuas primásque naturæ facultates hactenꝰ tractauit, quibus animal contentum esse potest. Atque quia non satis est vniuersales proposuisse & docuisse, nisi particulares quoque explicentur, quæ cuique parti conueniunt, vt χυλοποιητικὴ, &c. Id deinceps venit explicãdum. Nã in omni rerum muẽtione, à summis generibus facto initio, sigillatim species sunt inquirẽdę, ad minimas vsque. Proinde huc vsque proposita totiꝰ tractationis veluti summam & capita esse vult Galenus. Quę enim dicenda supersunt, ex illis pendent. & quia aliæ aliarum ope indigẽt, vt generatrix au-

*Argumentũ.*

ctrice

ctrice & nutrice, auctrixq; ipsa nutrice, quibus egeat nutrix (quod nondum est explicatum) Deinceps inquirere proponit.

*Verum si quis rursum reputet, &c.* Galenus multis in locis ex Platone admonet, rerum cognitionem esse inuestigandam facta diuisione summorum generũ vsque ad individua: sic enim cognosci exactè quod quæritur, cùm nihil eius prætermittatur. Idem docet Aristoteles initio Physicor. vbi proponit insitam nobis esse viam à natura, vt è notioribus nobis magisque manifestis, ad notiora natura proficiscamur. At confusa primò nota nobis sunt ac manifesta: elementa verò principiaque posterius ex hisce nota per ipsorum diuisionẽ fieri solent. idcircò ex vniuersalibus ad singularia progrediamur oportet: ipsum nanque totum sensu notius est. Vniuersale verò totum est quoddam, quippe cùm multa complectatur vt partes. His rationibus motus Galenus, facultates naturales in vniuersum proposuit, quòd sint notiores particularibus. Quis enim ignorat animalib' & plantis vim insitam esse generandi, augendi, atque nutriendi, cum effectus id probent manifestissimè? Attractricem verò facultatem, retentricem, coctricem, & expultricem non similiter assequũtur omnes, vt neque chyloticam, sanguificam, & cæteras particulares facultates, quę nutricis sunt veluti elementa.

*Quali methodo Galenus facultates naturales inuestiget.*



ta. Atque hic ordo resolutorius, quo à maximis & confusis ad minimorum distinctionem deuenimus, est methodus, qua omnes artes disciplinæ inueniuntur, nempe finis resolutione facta. Nam cùm nobis constet animalia & plantas ex seminibus procreari, conformata augeri, atque nutriri, iam quibus mediis seu gradibus ad illa perueniatur inquirimus, neque inuestigare cessamus, donec eorum principia & elementa fuerimus consequuti. Ordine huic contrario, nempe compositorio, vtuntur qui rem iam scitam & inuentam tradunt, siquidem ab elementis suam tractationem ordiuntur. Quum itaque Galenus in his libris inquirat facultates naturales, quot qualesque sint, non ab alio traditas explicet (nullus siquidem illo prior facultates ipsas συστατικὰς, id est scientificè præfiniuit, vt ait lib. de Plenitudine) meritò ordinẽ sequitur resolutorium.

* *
*

IN

## IN CAPVT X.

*Argum.*

*Ideo enim mõſtraturus tum inſt. &c.* Vt quatuor ſpeciales facultates nutrici inſeruientes inuenire poſsit, organorum nutritioni dicatorum varietatẽ proponit, quorum facultates illius gratia conditæ ſunt. Fuit verò neceſſe triplicia cõdere inſtrumenta, quorum alia cibos alterarent, alia quod ineſt ſuperfluum atque inutile ſecernerent, alia optimè præparatum alimentum diſtribuerent. Rurſus quę alterent cibos plurima eſſe oportuit, quòd alimentum initio prorſus diſsimile habeatur, neque perfectè aſsimilari queat niſi plurimæ intercedãt alterationes, vt cùm ex pane futurum eſt os, vel ex lactuca neruus. 2 Quæ verò excremẽtis ſecernẽdis dicata ſunt, etiam varia habẽtur, quia in cibis quibuſque varia ſunt ſuperfluitatũ genera: atque ex iis inſtrumentis alia extrahunt, alia deducunt, & tranſmittunt, alia denique recipiunt & aliquãdiu continent, tandemque reiiciunt. 3 Tertium genus organorum eſt vaſorum διακριτικῶν deſtinatorum, quia partes à ſeſe multum diſsitę eodẽ alimento indigent, quod alia ratione ad omnes cõmodè non perueniret. 4 Ex his tandem rectè infert Galenus, particulares omnes naturę



turæ facultates non aliter poſſe inueniri quàm ex prædictorum inſtrumentorum peculiari contemplatione. Demonſtrationis verò principium eſſe debent operationes, quę fini proximæ ſũt (quòd à notione finis indagatio quæuis procedat) tum etiam particularum ipſarum ex anatome, & particularium facultatũ quæ his exercentur, cognitio.

*Methodi analyticæ explicatio in facultate nutrice.*

*Nam cùm actio huius facultatis, &c.* A notione finis inquiſitionẽ aggreditur Gal. quod ex eius ἀναλύσει, ideſt reſolutione in ſua media, quicquid inueſtigatur facile ſit aſſequi. Nutritionis finis eſt aſsimilatio, quæ abſque cibo fieri non poteſt. Cibus verò nullus eſt tam ſimilis noſtræ ſubſtantiæ, qui non aliqua ex parte differat. Ergò facultates ſubeſſe oportet, quę portiones diſsimiles ſecernant, ſimiles verò partibus accommodent: quod vt fiat, inſtrumentis variis opus eſt, quibus illæ facultates exerceantur. Organorum verò diuerſitas, magnitudo, numerus, figura, & ſitus ex inſpectione mox deprehenditur, ſic à notione finis optimè facta metitioni inſeruientes deprehendimus.

*Quanã ſit cauſa quæ difficilius aut nunquam aſsimilari poſſint.*

*Nec fieri poſsit vt aſsimilentur, &c.* Quòd aliquid eſt alteri ſimilius, eò facilius in eius naturam tranſit, vt ſanguis in carnem, vinũ in ſanguinem, hæc enim quodc dam

dam ſymbolum inter ſe obtinét, quæ eſt qualitatum certa communio. Talia verò, quia minor eſt reſiſtentia, facilè alterius conditionem admittunt: quę verò plurimũ inter ſe differunt temperamento, vt ſ elementorũ proportio ſit omnino diuerſa, ea ſunt prorſus inimica, veluti quæ deleteria vocãtur, naturę noſtræ corruptricia pharmaca. In medio ambigũt quę plures quidem differẽtes qualitates habent, ſed nonnullas etiã conuenientes ſortita ſunt. Huius generis alimẽta medicamẽtoſa dicũtur. Horũ portiones cõuenientes à reliquis ſecernit calor natiuus concoquẽs, reiectíſque alienis (quæ ſunt excrementa) ſub iis prius latitantem alimenti materiam retinet, partibúſque apponit.

*Niſi ſocietatem aliquam, &c* Nutritio eſt euacuati repletio. Atqui quod euacuatum eſt, familiare erat. Quamobrẽ & quod nutrit familiare ſit neceſſe eſt, vt ſcribit Gal. lib. 4. ſimpl. cap. 10. Porrò quę ſimul omnibus qualitatibus cõueniunt, hoc eſt temperamento, ea tota ſubſtantia conuenire dicuntur: atque talis eſt natura ciborum propriè dictorũ, quæ parũ diſtant à corporis noſtri cõditione. Quę verò vna tãtùm vel duabus qualitatibus cõmunicãt, cæteris itarepugnãt, vt maximè aduerſa deprehendantur. talia ſunt medicamẽta laxantia, multóque magis deleteria.

Nec



*Nec quodcunque animal quocũque cibo, &c.* Quia ſcilicet diuerſum eſt temperamentum. Eo enim inuitatur vnũquodque ad appetitionem ſibi conuenientium, quippe nullo docente cothurnices veratrum, & ſturni cicutam perſequuntur: iumenta fœno veſcuntur & palea, feræ plurimę ſola carne, eáque cruda. Ex hominibus quidam à vino abhorrent, alij à caſeo, pomis, pane, & ſimilibus: quia tales cibi illorum naturæ aduerſas qualitates habent. Similitudo enim amicitiam parit, ita vt grauidę mulieres pica laborantes abſurda quęque appetant, pro humoris vitioſi quo redundant conditione: optima verò faſtidiunt, quòd humoribus ventriculi temperamentum immutantibus ſint diſſimilia. *Vnde cibo rum varia appetitiones & odia.*

*Iis vtique protinus.* Si quale erat ipſum quod effluxit, tale prorſus adiungere agglutinaréque ei per totum liceret optimũ id ſaluberrimúmq; planè eſſet, inquit Galenus libro primo, ſani. tuend. capite tertio. Verùm vbi quod ſingulis particulis defluit, tale naturæ eſt qualis ipſa particula, nihil autem eorum quæ eduntur bibũtúrue eiuſmodi prorſus eſt, neceſſarium naturæ fuit ea prius mutare & cõcoquere, & quàm fieri maximè potuit efficere corpori alendo reſtituendóque ſimilia. Hæc ille. Eſt verò facile intel-



« *Cur alimenta variè alterari oportet.*

ligere, nullũ alimẽtum actu nutrire posse, priusquàm sit alteratũ. Nam nihil est tam simile, quin subdit dissimilitudo, alioqui non simile, sed idem diceretur At qui iisdem nutriri nõ possumus, sed tantùm similibus.

## IN CAPVT XI.

*Argumẽ.* *Taque denuò nobis reuocandus ad mem.* Cùm nutritionis finis sit assimilatio, quænã ad hãc requirantur, quęque illam præcedant, suo ordine recẽset Gal. nẽpe agglutinatio, appositio, & humoris instar roris per particulã dispersio. 2. Hęc verò inter se diuersa esse, mox speciatim demõstrat, cùm assimilationẽ nõ esse agglutinationẽ docet exẽplo vitiliginis in qua nutrimẽti quidem agglutinatione facta, non fit assimilatio. Agglutinationẽ verò ab appositione distingui, in anasarca, cui dẽsest, quippe humor copiosus quidẽ apponitur atque dispergitur. nõ tamen agglutinari potest solidis partibus, quia est aquosior & minimè glutinosus. 3 Deinceps nutrimẽti triplicẽ significationẽ ex Hippocratis sententia exponit, vt ꝓpriè nutrimentum sit quod iam nutrit, adeóque assimilatur. cùm nutritio reuera sit assimila



similatio. Quod agglutinatur, vel duntaxat apponitur, nutrimẽtum impropriè dicitur, quia nondũ nutrit, sed est velut nutriens. Multò minus quod in venis aut vẽtriculo adhuc cõtinetur, quod futurũ nutrimentum dici potest. Illud enim potentia propinqua, hoc autem in remotiore nutrimentum vocites.

*Ratio vero eius nominis est, &c.* His verbis significat nutritionem sub assimilatione comprehendi velut speciem, assimilatio enim de pluribus dicitur. Ea verò quæ est aliměti ad id quod nutritur, propriè nutritio vocatur. Proinde cùm assimilatio ꝓ nutritione passim vsurpatur, illam supplere oportet, quia non quæuis assimilatio nutritio est, neque omnis assimilatio nutritionis finis dici potest. *Assimilationem latius patere quàm nutritionẽ*

*Postquàm enim succus is, &c.* Hìc quatuor humores, quos vocant secũdarios, proponit Galenus. Eorũ primus est sanguis in capillaribus venis contentus, & circumstantis particulæ proprietate plurimũ immutatus Hũc ait à vasis excidisse, quia ex venis maioribus in angustiores attractus, quasi deriuatione quadam excidit. Alter fit cùm prædictus humor per oscula, aut cæcos venularũ poros, in omnem partis substantiam dispergitur, atque per omnia spatia diffusus cõbibitur. Estque humoris superiore paulò crassior *Quatuor humores secundarii*

Universidad de Deusto Biblioteca



ſior vt qui à natiuo calore magis ſit elaboratus. Idem cõcoctione aſsidua craſſior & viſcidior euadens, vt particulæ fibris optimè agglutinari & adhæreſcere poſsit, tertius fit humor. Quartus verò ex ſecundariis dicitur, qui ad extremum caloris natiui opera ita concreſcit & alteratur, vt partis ſubſtantiæ tandem perfectè aſsimiletur. Prædictorum humorũ primus peculiari nomine caret. Secundus à recẽtioribus non ineptè ros vocitatur, cum roris modo multiplici & erratico lapſu in omnẽ partis ſubſtãtiam influat. Hunc non nulli alimentarium nominant. Galenus ἔμφυτον, & σύμφυτον ὑγρότητα appellat, quod iam inſitus, & proximè appoſitus ſit particulis. Tertius à recentioribus gluten, ab agglutinando, vocatur. Quartus verò cambiũ, id eſt permutatum iam & aſsimilatum, à quibuſdam carniformis dicitur. Hoc abſoluto, perfecta aſsimilatio cenſetur, vt agglutinatio fit humoris penultimi, & appoſitio ſecũdi, qui roris in modum particulæ imbibitur.

*Alphos. leu e. & Melas quid differant.*

*Vitiligo illa quã Græci* λεύκην. Vitiligo apud Latinos magis patet quam λεύκη, vt hanc etiam ſubſe comprehendat. Celſus enim cap. vltimo lib. 5. vitiliginis tres ſpecies facit, nominibus græcis appellatas: ἄλφον, μέλανα & λεύκην. Ἄλφος dicitur eò quòd immutat



mutat cutis colorem, vt inquit Aetius. Nam ἀλφαίνειν antiquis immutare dicebatur. Hũc affectum Celſus definit, vitium cutis vbi color albus eſt, ferè ſubaſper & non continuus, vt quædam quaſi guttæ diſperſę eſſe videantur: ſuperficiem tantùm occupat, vt ſint veluti ſquamulę cuti affixæ & hęrẽtes, teſte Aetio, vnde aſperitas deprehenditur. μέλας colore tantùm ab hoc differt, quia niger eſt & vmbrę ſimilis, cętera eadem ſunt. λεύκη habet quiddam ſimile alpho, ſed magis albida eſt, & altiùs deſcẽdit. Nam ſubiecta cuti caro tota per profundum eſt trãſmutata ad albidiorem colorem, atque ſuperficies loci affecti leuiſsima eſt. Quòd ſi in parte pilis obſita naſcatur, eam non deglabrat, vt ſolẽt ἄλφοι & μέλανες (niſi quę prſus incurabilis eſt) ſed canos omnino facit, & pilos lanugini ſimiles. Hęc quem occupauit non facilè dimittit, illa verò curationem non dificillimam recipiunt. Quin etiam in nõnullis variis temporibus & oriuntur & ſponte deſinũt. Leuce verò vix vnquã ſaneſcit, vt annotat Celſus. Alphon Barbari, Morphęam albam dicunt, & Alguadi: Melanę verò morphæam nigram, & leucem alboras. Porrò etſi eiuſmodi vitia, & cutis defędationes, potiꝰ quam morbi eſſe videãtur, &

*Lib. 13. cap. 134.*

*Leucentotius corporis eſſe capotiam vocatam.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



certas corporis particulas, nõ corpus vniuersum, afficere dicantur, attamen in quibusdam hominibus leuce vniuersalis apparet, vt iis quos vulgò Capotos & Ladros albos nominant. Non enim vera & propriè dicta Elephãtiasi laborant, quæ totius corporis cancer definitur & ex atrabile solum( quibuscũque humoribus aduſtis)prouenit, quemadmodum & lepra Græcis vocata(solius cutis affectio) & Melas vitiliginis species. Capotiam verò illam ex pituita ortũ ducere, indicio est color planè albus ad niueum vergẽs, nullus pruritus, æqualis & plana corporis superficies, faciésque subtumida. A perfecta verò sanitate solo anhelitus fœtore creduntur discedere, qui accidit ex pituita facilè putrescẽte. Vitium hoc in vicinos ex mutuo conuictu non serpit. vti elephãtiasis: imò neque ex coitu contagiosus putatur. sed tantùm hæreditarius est, vt in natos abeat. Nam qui ex parẽtibus capotis genitus est, vel ambob', vel alterutro, is duntaxat capotus deprehenditur, id est leuce naturali atque vniuersali laborare, vt ipsi cõiicimus. Sic virides lacerti virides edunt partus, & albi polypi albos. Proinde meritò interdicuntur à cæterorum cõnubiis, ne malum id latius diffundatur, quod in gente quadam hactenus pertinacissimè est continuatum



nuatum. Huius verò mali origo fuit, à quibusdam primùm tali affectu præter naturam laborantibus, qui proximè ad anasarcã accedit: idque vel alimentorum vitio, vel facultatis assimilatricis errore, vt facile est intelligere ex iis quæ elegan ter docet Galenus libro tertio de causis symp. cap. 5.

*Anasarca descripno & variæ appellationes.*

*Prodit illud genus hydropis quod ἀνασάρκα, &c.* Anasarca hydropis tertia species est, in qua pituitoso humore carnes adeò sunt imbibitæ, vt pastæ modo molles sentiantur, & contrectatæ à digitis impressam foueã diu retineant. Ἀνασάρκα, & ὑποσάρκα, & κατὰ σάρκα ob id dicitur, quod per carnem, sub carne, & iuxta carnem sparsus, collectúsque sit humor. Φρκίτης etiam vocari solet, eo quòd adaucta caro videtur. Διαφρκίδιον, & ὑποφρκίδιον quoque dicitur à Gal. comm. III. in lib. 4. de Rat. vict. in morb. acut. Λευκοφλεγμάτια, verò idẽ morbus nuncupatur, quia ex pituitæ albę redundantia prouenit. Hippocrates aphoris. 29. lib. 7. disiunctis vocibus vtitur λευκοῦ φλέγματος.

*Tabis species tres.*

*Veluti quæ Græcis ἀτροφίαι dicuntur.* Celsus lib. 3. cap. 22. tres facit tabis species, vnam qua corpus non alitur, & naturaliter sem per aliquibus decedentibus, nullis verò in eorum locum subeuntibus, summa macies oritur: Ἀτροφίαν hãc Græci vocãt, quæ lentè

Universidad de Deusto Biblioteca



lentè ac pedetentim accidit, cum sumpto alimento corpus non alitur, nimirum principis alicuius visceris errore. Altera est quam Græci communes φθίσιν, Athenienses verò φθόην appellant, vt testis est Gal. in Aphor. 16. lib. 7. Hæc vlceratũ pulmonem peculiariter comitatur. Tertia est καχεξία gręcis vocata, vbi malus corporis habitus est, ideoque omnia alimenta corrumpuntur: huic præter tabem illud quoque accidere solet, vt per assiduas pustulas, aut vlcera, summa cutis exasperatur. vel aliquę corporis partes intumescant. Fernelius à Celso bene dissentit, scribens καχεξίαν ab atrophia quàm longissimè differre, quòd in hac extenuatũ corpus sensim cõtabescat, in illa ampliorem molem sortiatur: in atrophia nutritio prorsus nulla videtur, in cachexia verò est vitiosa. Verius sanè dicas, Μαρασμὸν esse tertiam tabis speciẽ, quem Galenus libello ei dicato definit, corporis viuentis corruptionem à sola siccitate. Si enim adiuncta fuerit caliditas, cum additione febris μαρασμῶδες vocabitur, si sin frigiditas comes fuerit, dicetur affectus senectuti assimilis. Cachexia verò proximus affectus est hydrops anasarca vocatus, vt hũc à phlegmatica cachexia (quæ λευκοφλεγμαίνειν ferè prænuntiat, & in plerisque puellis viuidi coloris florem disperdit

*Cachexiã ab atrophia differre.*



disperdit) sola magnitudo seiũgat, quòd tumidiorem habeat corporis vitiatam molem. Cæterũ inter anasarcam & atrophiam commune aliquid statuere videtur Galenus, dum inquit [Non enim affluentis humoris inopia, veluti quæ Gręcè atrophię dicuntur] An nutrimẽti quidem inopia laborant partes solidæ in anasarca, etsi alimentum qualecũque apponatur, quia præ fluiditate non adhęret? Hinc enim fit vt quamuis tumefiat corpus, graciliores tamen solidæ partes euãdant, nec non caro & adeps minuantur: sola humiditate superflua, quæ inanes capacitates occupat, tumentes fiunt particulæ. Hoc igitur cum atrophia cõuenit anasarca. Differt autem quòd in atrophia nutrimenti inopia partes extenuentur, atque tales appareant: In anasarca verò nutrimenti vitiosi copia intumescant.

*Primùm quidem appositionem, &c.* Hic tacitè insinuantur quatuor illæ particulares facultates nutrici inseruientes, quas adeò sollicitè inquirit Gal. Quippe appositio est quędã anadosis, vbi scilicet roris instar alimẽtũ disseminatur, & distribuitur. Anadosis verò mixta est actio ex attractione & expulsione, vt suo loco videbimus. Agglutinatio sola humoris visciditate nõ accidit, sed potius retentricis facultatis

*Quatuor facultates clam annotantur.*

Universidad de Deusto Biblioteca



facultatis opera. Aſsimilatio denique co ctricem vim ſubſequitur, vel comitatur. Vnde patet quatuor illis particularibus facultatibus perfici applicationem alimenti, eiuſdemque adherentiam, & perfectam aſsimilationem.

*Ac proprie quidem nutrimẽtum eſt, &c.* Nutrimentum propriè & abſolutè dictum, non aptitudinem ſed actum ſignificat, vt ſit quartus ille ex ſecũdariis humor, quẽ barbari cambium vocant. Nutrimentum verò impropriè ſumptum, eſt quicquid nutrire poteſt. Cúmque maxima eorum ſit diuerſitas, quod potentia proxima nutrimentum dicitur, eſt gluten, tertius humor ex ſecundariis, vel etiam ros qui ſecundus ſtatuitur. Hippocrates hos tanquam nutrimenta vocabat. Futurum nutrimẽtum potentiã remotiorem obtinet, vt ſanguis maiorib⁹ venis incluſus, & chylus: quę eò magis impropriè alimenta nuncupantur, quò longius ab actu nutriẽdi abſunt. Edulia verò nõdum aſſumpta, nõ τροφῆς, ſed ἐδεσματῶν & σιτίων appellationẽ merẽtur, vt cap. 8. monuimus.

*Atque hoc etiam magis quod in ventr. &c.* Aliarum quidem partium ratione, futurum dũtaxat nutrimẽtũ dici poteſt chylus, quia tandẽ aliquãdo varias perpeſſus alterationes, cæteras partes nutriet. Ventriculi autẽ proximũ propriumque nutrimen-



nutrimentum eſt, vt ex Galeni ſententia apertè docebimus lib. 3.

## IN CAPVT XI.

*Argumẽ.*

*AC quòd neceſſe ſit nutritionem eſſe aſſ. &c.* Cùm omnibus ſit confeſſum nutritionẽ eſſe aſsimilationẽ ipſã, ſuper hac re duplex occurrit opinio, eorum ſcilicet qui duntaxat apparentem aſsimilationẽ fieri cẽſebãt, vt Sceptici, quorum taxata fuit ſententia cap. 2. libri huius: & aliorum qui rectè ſentiẽtes, aſsimilationem verè fieri noua forma comparata (vt ſit particularis quædam generatio) profitebantur. 2 Priores nec artificioſum, nec prouidam naturã ſtatuebãt, neque proprias facultates agnoſcebant, quibus attrahat, retineat, coquat, & expellat. Iidem materiam generabilium & corruptibilium immutabilem & incorruptibilem eſſe volebant, & atomos inaniaque ſpatia, quorum certo quodam congreſſu omnia fieri dicebãt: neq; animæ aliquas facultates nouerãt. Poſteriores materiã corporum vnitam proponebant, & alterabilem: naturam corporibus antiquiorem, & præditam certis facultatibus, quibus vtens corpora fabricant, & fabricata

Universidad de Deusto
Biblioteca



cata conſeruat. Priores verò nobis animam cum brutis communem faciebant, ex ſenſu & per ſenſum omnia fieri dicentes, imaginationibúſque tantùm & memoriis animal gubernari, vnde & mores & diſciplinę omnes funditus tollũtur. Illius opinionis Hippocrates, huius verò Aſclepiades fuiſſe videtur.

*Ac quòd neceſſe ſit nutrit. eſſe aſſ.* Alioqui enim ſpecies corporis eadẽ nõ ſeruaretur ſed ſẽſim altera fieret, niſi alimẽtũ corpori aſsimile redderetur. Eſt verò idipſum nutriri ſcilicet in eodẽ formę ſtatu cõſeruari, ſiue ãplior, ſiue minor corporis moles cõparetur, aut æqualis retineatur.

Στοργὴ φιλικὴ, & κοινωνικὴ *qualis ſint facultates.*

*Vna quidem qua ſobolem diligit, ὁ δὲ στοργὴ* eſt dilectio, præcipuè parentum in natos, hæc prouidẽtiam mouet, quæ nihil proli deeſſe patitur, vtraque verò naturâ eſt inſita, vt plantis quoque ineſſe videatur. Nam ſemina & fructus ſuos plerę que ita munitos producũt, vt mira naturæ prouidentia in iis ſpectetur. φιλικὴ ad alios quoſcũque refertur, nõ ſolùm ad natos. Amamus verò qui ſunt ſimiles, vel eiuſdem generis, vt cõſanguineos, conterraneos, cõciues. Hinc mouetur κοινωνικὴ facultas, vt quos diligimus iis lubẽs noſtra communicemus, atque vtrumque eſt naturale, indéque pẽdet συμπαθὲια rerũ, & ipſe appetitus. Quę enim ſpecie quadã ceu amore



amore vnà tenentur, ea cõiungi ſuo quidem modo deſiderant

*Quibus ſingulæ particulæ conuenientem, &c.*

Prętęr has quatuor facultates nutrici inſeruientes alias deprehendi, tam in plãtis quàm in animalib⁹, affirmare quis poſſet. Nam appetitrix quędam facultas eſſe videtur, quæ attractricem pręcedat, & ſecretrix quæ expultricem. Nõ enim attrahitur, niſi quod certa cõuenientia iucundũ ac familiare expetitur, idque ſingulæ noſtri corporis partes, more plantarum, ſolo naturæ inſtinctu norunt, vt conſtet facultatem quandam naturalem ἔξιν eſſe, quę appetitoria vocetur. Hãc* Galenus lib. de diff. ſymp. cap. 4. aſſerere quibusdam ineptè viſus eſt, cum de ventriculi appetitrice vi apertè loquatur, quã ſenſu coſtare, ac proindè animalem dici, manifeſtum eſt, interim tamẽ naturalem ipſe appellat, quia non ex voluntate noſtra pẽdet, ſed ex naturæ neceſsitate cõſequitur. Illa verò appetentia quæ cæterarum partium vim tractricem mouere creditur, ex nulla facultate manat, ſed potius penuriam atque priuationem rei neceſſariæ innuit. Facultas enim definitur cauſa quædam effectrix. In partibus verò animalium ſingulis nihil eſt quod vim tactricem excitet prętęr indigentiã,

*An prętęr quatuor, aliæ facultates nutritiæ inſeruiant.*

**Galenus eo loco facultatis nõ meminit, ſed tamen ὄρεξιν nominat nullam facultatis mẽtionem facit vt habet interpres. Verũ quia Galenus vult cã eſſe ex functionibus naturalibus, functio ve rò omnis ex aliqua facultate prodeat, eòdẽ redit argumentatio.*

quæ

quæ est rei conuenientis priuatio, & ceu vacuum, quod quia natura ferre nõ potest, ipsæ partes sua sponte (hoc est insita vi naturali) mouẽtur ad explicãdam attractionem qua pollent. Non igitur tractricem facultas vlla præcedit, sed sola priuatio, quæ reuera nihil est, quamuis à Physicis principium trãsmutationis cõstituatur, cuius ratione materiã formas expetere dicunt, non alia ratione profectò quàm partes corporis alimenti conuenientis desiderio & appetentia teneri, & ad illud prosequendum incitari, asserimus. Eodem prorsus modo plantarũ vis attractrix incitatur, vel potius impellitur, humoris necessarii carentia & priuatione. Id quod sine sensu, qualis est animalis, fieri certum est, solo naturæ instinctu, vt prædiximus, & insita conuenientiũ sympathia. Vtiliũ cognitio atque discretio hæc esse videtur, cũ tamẽ nulla sit plantis & partibus animalium intelligentia. Verùm natura sic cũcta parauit, ac dispositis mediis cõuenire fecit, vt vel ratione quadã vti, nedum sensu, quis putet. Quod verò partes animalium præstãtiori quadam discretione vti nonnulli existimant (quorum opinioni subscribit Fernelius lib. 5. Physiolog. cap. 5. vt idonea ab alienis internoscãt sẽsu qui ad cõmunem illũ referatur, omnino falsum existima



existimamus. Nam ossa non minus quàm aliæ partes nutriuntur, quæ tamen nullo sensu prædita sunt, & prorsus more plantarum vitam sustinent. Ex quibus tãdem concludere licet, appetitoriam facultatem in naturalibus nõ esse ponendam, vt saltem aliarum facultatum modo causa sit per se, & primò alicuius actionis effectrix: sed tãtùm veluti priuatio & vacuũ, aut partium quædam affectio. Quòd ad secretricẽ superiùs propositam attinet, ea nihil est aliud, quàm attractricis aut retentricis opus. Nam dum renes serosum sanguinem alliciunt, fit eius à reliquis humoribus secretio, cùm interea vis retentrix cæteros continet. sic in sudorib. quoties expultrix facultas serum è vasis exprimit, inutilium ab vtilibus secretio est. Vt plurimùm verò simul ambæ facultates, attractrix & expultrix, agentes, secretionis causa sunt. Ex iisdem constat anadosis, vt neque huius peculiaris quædam facultas sit imaginanda. Cùm enim aliæ partes quod sibi est oneri à se reiiciunt, aliæ verò vt iucundissimum attrahunt, alimenti fit distributio. Igitur naturales facultates nutrici famulantes præter eas quatuor non deprehendimus, cùm actiones quæuis naturales ad illas facilè referantur.

*Secretricis meminit Gal. cap. vlt. de diff. sympt.*

Universidad de Deusto Biblioteca



# IN CAPVT XIII.

Argumentum.

*Porro intelligi licet quàm recta veraque, &c.* Propositis quatuor facultatibus nutrici inseruientibus deinceps eorũ cõfutat opiniones qui attratricem non admittebant. Eius sententiæ fuit Asclepiades, qui ne elemẽta sua proderet, atque vt hypothesibus suis consentanea diceret, nullam partium cõtinuitatem, nullam earum communicationem agnoscebat: attratricem verò in totũ fieri negabat, iis quæ euidenter sensus deprehendit contradicens. Id primùm in renibus explicat Galenus, quos frustrà conditos esse putauit Asclepiades, nec ad vrinę secretionem extractionemq́; factos. Cùm tamen vel coquis illud sit cognitũ. Quin etiã homines planè omnes nephriticos appellant, quib. ex arenulis vel calculo ἰσχυρία contingit, quia scilicet norũt id renum vitio fieri, quorum est vrinam expurgare. 2 Qua autem ratione velit Asclepiades vrinam in vesica colligi: mox explicat, nempe humore qui bibitur in vaporem conuerso, & in vesicã excepto, statimq́ue in humorem deinceps concreto. Quam sententiam quatuor ra-
1. tionibus improbat Galenus. Primũ, quia vesicæ



vesicæ corp⁹ crassius & densius est, quàm vt præ cæteris partib. vapores admittere possit. Nam peritonæum vel Diaphragma faciliùs pertransirent: vnde musculi 2.
abdominis aut pect⁹ aqua impleretur. ne 3.
que situs vesicæ conuenit cum ipsa sit inferius, vapores autem natura sua sursum ferantur. Postremò spatium quod est inter peritonæum & intestina citiùs reli- 4.
quis aqua repleretur, vel saltem cum vapor rectà quaquauersum permeet, etiam foras exibit penetrato abdomine, vel ad cutem sistetur. 3 Asclepiadis sectatorũ contradictionem mox proponit Galenus, quorum alii vrinam per manifestos aliquos meatus, vt vreteres, ferri negabant, hoc argumento, quòd vesica humore, vel etiam aëre plena si comprimatur, nulla ex parte quicquam remittat. Alij mõstratos οὐρητέρας frustra cõditos esse, vti & renes, dicebant, vel aliquos esse ex seminalibus meatibus. 4 Cùm nec supradictis rationibus, nec vreterum ostensione, illorum stupiditati mederi posset Galenus, renum & vreterũ actionẽ oculis subiiciendã putauit, facta viui animalis dissectione, cuius ostẽsionis modũ plurib. explicat. Ex his tandẽ Asclepiadem temeritatis conuincit, qui naturæ prouidentiam artemq́; reiiciebat, quã meritò

Universidad de Deusto
Biblioteca



Hippocrates summè veneratur & admiratur, vt quæ animalibus ad omnia sufficiat, sine doctore agat, animal nutriat, augeatque, & morbos iudicet. Asclepiades verò falsis elementis nixus facultates naturæ prorsus ignorat. 5 Neque solùm in vrinæ secretione is fallitur, sed etiam in bilis flauæ (quàm à sua vesicula gigni, non extrahi, dixit) & atræ productione: quibus ignoratis sanè hoc sequitur, vt neque nephritim, neque icterum, aut melancholiam sanare possit, quia scilicet nescit cuius culpa hi accidāt morbi, ex obstructione renum, vesiculæ meatuum, aut lienis prouenientes. 6 Sed neque à medicamentis purgantibus fieri attractionem concedebat Asclepiades: Quinimò putabat humores qui excerni videntur, à medicamentis corpora nostra colligantibus produci. Vnde sequitur, vt nullo discrimine ad quoscunque morbos, quouis anni tempore, & quacunque ætate, quouis cathartico vti liceat: quod cōtra rationem & experientiam est. At non audet ille vim attractricem medicamētis concedere, ne eandem corporib. animalium inesse fateri cogatur, vnde non extrahi, sed tantùm vacuari, humores dicebat.

*Quid vocetur conueniens qualitas.*

*Qui enim attractricem conuenientis qualitatis &c.* Conuenientem qualitatem dicit pro eo



eo quod suis qualitatibus cōuenit. Nam cùm attractio fiat similitudinis ratione, similia verò & dissimilia secundum solas qualitates dicantur, vt in prædicamentis docet Arist. qualitatum conuenientium attractio esse videtur. Exactiùs loquitur Galen. vbi ait, Qualitatum quæ in substā tiis sunt proprietatib. attractionem perfici, vt lib. 3. simp. cap. 24.

*Vulgaris modus loquendi nō parus momenti.*

*Nephriticos seipsos nominant* Vulgaris modus loquendi non rarò magni est momēti in probandis rebus obscuris: quòd ex iamdudum recepta obseruatione authoritatem habeat. Obseruatio siquidem veluti per manus ad nos vsque peruenit, iá olim à doctissimis & prudentiss. hominibus tradita, qui omnium primi agrestes populos instituerunt, cum moribus sermonem docentes elegantiorem, quiq; ad communem rerum notitiam propius accederet, quod est scientiæ dimidiū: vt annotauimus ca. 9. libri de risus causis & accidentibus.

*Emictum calculum non vidit.* Vtitur calculi argumento, vt probet vrinam per vreteres à renibus ad vesicam deferri: quippe si halitus modo vesicam penetrat, cur fit vrinæ retentio dum calculus vreteres obstruit? Rursus cùm dolor sentitur à lumbis transuersim obliquè ad pubem procedens, qui postmodum simul cum vrina

Universidad de Deusto Biblioteca



excreto calculo cessat, quis nõ dicet calculum per vreteres in vesicam peruenisse, & vrinam eadem via incedentem prius cohibuisse? Nemo enim suspicabitur calculum sub halitus forma vesicã penetrasse, vt de lotio dixit Asclepiades.

*Aqua in hydropicorum vẽtre vt coll gatur.*

*Veluti ipsis hydropib. eo loci, &c.* Hæc verba non sunt ita accipienda, quasi velit Galen Hydropicorum aquam ex vaporibus concretam sub Peritonęo colligi, sed tantùm illic coaceruaturum humorem, vt solet in hydrope. Per quem sanè morbum plurimum gignitur seri, & sanguis aquosus fit. Serum autem per raritatem venarum (quæ sanguinem crassiorem viscidioremque, & fibris donatum, facilè continent) præterfluit atque resudat. Nõ enim sufficiunt renes ei extrahendo, cum lõgè maxima sit eius copia, & plurima ei' portio per mesaraicas effundatur.

*Cur sub cute magis concrescat adeps.*

*Aut omnino sub cute colligentur.* Sic sanguinis portiones aëreę dulces ac pĩgues, dum halitus modo errant, facilè penetratis inferioribus partibus supernè ad cutem sistuntur, vbi in adipem cõcrescunt. Nam etsi cutis minus est dẽsa suaptè natura, quàm subiectarum partium membranæ, licet crassior appareat, potest nihilominus vapores melius cohibere, ab aëre ambiente veluti constipata densiorque reddita. Siquidem omnibus subiectis



iectis partib. frigidior sentitur. At quæ alioqui densa sunt, caliditate rarescunt.

*Natura morbos indicat coctrice & expultrice facultatib. vtens.*

*Iam mor' os quoque finire, &* Natiuus calor seu spiritus, quem animæ præcipuum & immediatum instrumentũ esse docuimus, quique passim natura vocari solet, morbos curat, dum noxios humores concoquit, maturat, ferociẽtes reprimit, vel excernit: qua in re duab. potissimum facultatibus vtitur, assimilatrice videlicet & expultrice.

*Vnde sit transfluxile & transpirabile corpus vniuersum, & quæ partium consensus occasio.*

*Ideoque in corporibus nostris vnum, &c.* Præter amplas cauitates, & canalium meatus euidentissimos, partes omnes quantumuis solidæ fuerint, poris sunt prędite, per quos etiam materiarum communicatio vndiquaque fieri potest, atq; id facit corpus omni ex parte trãsfluxile & transpirabile, vt scribit Hippoc. Mutua verò particularum connexio & quasi vnitas, illius sympathię causa est, quæ in plerisque affectibus, non solùm morbosis, sed etiam sanis deprehenditur.

*At quomodo igitur iis qui morbo regio, &c.* Multis de causis accidere potest Morbus regius. Frequentius verò fit ex obstructione canalium bilem ad suam vesiculam deducentium, vel eius quo in intestina bilis reiicitur, vnde colorata redduntur stercora. At si vel non excipitur vesicula, vel excepta bilis in intestina

Universidad de Deusto Biblioteca



reiici nequeat, alui fæces candidæ remanent, & totus ſanguis luteus euadit. Porrò quam contradictionem Galenus Aſclepiadi obiicit, non difficilè eſt diluere, cùm ſiue aliunde trahatur bilis, ſiue in ipſa veſicula gignatur, quoties meatus ad duodenum perueniẽs ſolus obſtruitur, bilem ſanguini permixtã relinqui ſit neceſſarium.

*Iam in quo omnes homines conſentiunt, &c.*

POSTHIVS.

HIc permulta de medicamẽtorum purgantiũ aduerſus ἀντιπαθεία humores diſſeruit D. Iouberrus. Sed cum ea iam legantur in Paradoxis nuper euulgatis, hoc loco minimè deſcribenda putaui. Eadem ratione motus prætermiſi quę de Alexiteriorum conditione dictauerat, & quod nulla medicamenta ſurculos & ſpicula verè attrahant. Quippe illa eadem Parad. nono. Dec. 2. cõplexus eſt.

## IN CAPVT XIIII.

*NOs igitur rurſus ad aliam garrulitatem, &c.* Cùm magnetem ferrũ attrahere vulgò ſit notum, hoc ſaltem argumento vim attratricem quibuſdam ineſſe conuinci poteſt. At cùm videret Aſclepia-



Aſclepiades id poſitis à ſe elementis nõ conuenire, impudenter pronuntiauit nihil ab vllo trahi. Epicurus verò Aſclepiade antiquior, iiſdem elementis vtens, attractionem recipit, ſed ſuis atomis ad illã ineptè adeò vtitur, vt non minus damnanda ſit eius abſurditas, quàm Aſclepiadis impudentia. Hoc differunt Aſclepiades & Epicurus, quòd ille quid ex poſitis principiis conſequi poſsit exactè noſcat, & iis nuſquam contradicat: Quin potius neget quæ manifeſtè apparent. Contrà Epicurus quod apparet ſemper recipit, ſed conſequentiam non videt, & effectum cauſam frigidam reddit. 2 Epicuri de attractionis modo per atomorum hamulos nugacitatem conuincit Galen. octo potiſsimum argumentis. Deinde admonet conſequẽtiam omninò obſeruandam in quacunque ſecta, quod Aſclepiades in Epicuro bene notauit. Sed imprimis rerum apparentiam eſſe admittẽdam: alioqui ſanè verum à falſo diſcerni non poteſt. 3 Poſtremò duobus argumentis vim tractricem pleriſque corporibus ineſſe oſtendit. Primum eſt de medicamentis, Quorum alia proprios humores extrahere dicuntur, alia ſurculos, telorum cuſpides, & beſtiarum virus. Porrò infixa non exire horũ opera, quoniam inflammationi medeãtur, tribus rationibus

tionibus monſtrat. Prima eſt quòd non ſint iis ſimilia quę Phlegmonem ſoluunt. Altera quòd etiam deleteria inter ſe naturæ ſint diuerſæ. Tertia quòd ea poſsint extrahere quæ vel robuſtus homo digitis non euellat. 4 Alterum argumentum eſt de tritico aquam trahente, fictilibus aquę plenis in eo conditis. Siquidem aquæ multò plus attrahit, quàm in ſole præcalido diſsipetur. Vnde Gale. infert diſsipationis eius cauſam nō eſſe aëris tenuitatem, cùm à tritico plus abſumatur.

*Ergo nugæ meræ fuerint ſiquis, &c.* Negabant aduerſarij ſolem aquam expoſitam attrahere, ſed in aëris tenuitatem ſponte abire dicebant. Quibus reſpondet Galenus, in triticum non poſſe abire plus humoris quàm in aërem, ſi tenuitatis ergo id fiat. Atqui multò pl' aquæ abſumit triticum, quam aër calidiſsimus, proindeque tenuiſsimus. Ergo non ſponte ad illum accedit: ſed à ſole trahitur humor, & hoc manifeſtius à tritico. Verùm neque ſol, neque triticum aquam trahūt, vt ex diligentiore inquiſitione manifeſtum euadet. Quorſum enim ſol humorem attraheret, cùm nihil trahat niſi vt eo fruatur cuius per attractionem fit compos? nunquid aſtra vaporibus ſublatis nutriuntur, vt ex philoſophis antiquioribus

*Calorem et ſiccitatem attractionis cauſas non eſſe.*



ribus nonnulli putarunt. Atqui iamdudum eſt exploſa eiuſmodi opinio perquàm abſurda. Neque enim cibo illa indigent, neque vapores cœlos attingunt. Quòd verò ſurſum ferantur, ab inſita leuitate habent, quamprimum ex attenuato humore vapor eſt genitus. Hunc autem non trahi, ſed ſponte aſcendere, ſatis oſtendit, quod dum in lebete feruet aqua, primis tantùm ſuppoſitis, vapores ad ignem minimè vergant, cùm tamen quicquid trahit ad ſe trahere videatur. ſic à pannis madentibus igni appoſitis vapores excitati, non ad ignem inclinant, ſed ſurſum rectà feruntur, quò natura mouet. Ex iis facilè intelligi poteſt, quæ ſit natura medicamentorum attrahentium vocatorum, Græci ἑλκτικὰ appellant. Nempe aliud nihil poſſe, quàm humores attenuare, & partes eos continentes rarefacere, ad quæ mox ſequitur inanitio, & alterius materiæ conſequutio, quam illi attractionem vocant. Humore ſiquidem attenuato, vapores & halitus fiunt, qui ſponte ſuperiora petunt, & circumfuſo aëri iunguntur, maximè cùm partes etiam tactæ rariores patentiorem exitum illis concedunt. Loco verò ſic vacuato aliùs neceſſariò ſuccedit humor, niſi partes

conci

concidere posſint. Idq; fieri perſeuerat, quandiu vis medicamenti calefacientis integra manet. Non igitur attrahere dices eiuſmodi medicamenta, ſi propriè loqui velis, ſed tantùm diſsipationis atque resolutionis humorum cauſam eſſe accidentariam. Et qua ratione quæſo traherent, cum neque iis nutriri, neque delectari poſsint, naturæ diſsimilis exiſtentia pharmaca? Partes verò calefactas plerumque ſolitò minimè attrahere, tam certum eſt, quàm verum facultates ex quauis intemperie eneruari. Nã cum illæ, & calore natiuo, & ſingularum partium temperamẽto, ad ſuas actiones vti ſoleant, temperie deprauata minus rectè exercentur. Non ergo melius quàm antea trahũt, ſed multò difficilius. Qui verò humorum conflu xus eſt, caloris præter naturam excitati ratione fit, cùm is aſsiduè reſoluit, & diſsipat, vti prædiximus. Hactenus Solis, & calidorum omnium vim, qualis cenſenda ſit, oſtendimus. Supereſt, vt etiam triticum non trahere doceamus. Quo enim nomine trahit, cum iam collectum nutritione non egeat? Quod ſi humore delectari reſpondeas, cur nullo diſcrimine quemuis excipit? Neque eſt quòd reſpõdeas, ipſius tantùm humoris, qua humor eſt, ratione expetiri à tritico, vt eius ſiccitatem emendet. Nam cùm ſiccitas humiditati contraria ſit, quomodo ea delectari poteſt? Vnumquodque ſanè à ſui ſimilibus tantùm conſeruatur: Atque id ſolum in naturalibus deſiderium facit, quibus ſuæ conſeruationis ſtudium à natura inſitum eſſe nouimus. Præterea ſi ſiccitas facit vt triticum humorem alliciat, (nam hæc ſola eſſe poteſt attractionis, ſi quę fiat, occaſio) cur partes noſtri corporis arefactæ ſolitò minus attrahunt, vnde etiam marcore abſumuntur? Cur ſenes quibus ſolidæ partes ſicciſsimæ euaſerunt, non optimè nutriũtur, partibus ſingulis maiore vi quam antea nutrimentũ rapientibus? Quia ſcilicet omnis intemperies, vt antea protulimus, facultatibus obeſt, quò minus rectè exerceantur. Vnde fit vt ab exſiccatis partibus ægrè trahatur alimentum. Sicca verò inanimata, vt terrena corpora, & ipſum quoq; triticum, ſiccitatis ratione tantum humorẽ inania ſpatia permeantem admittunt, nõ attrahunt: quod partibus animalium reſiccatis non ita conuenit, præſertim cùm ſiccitati iuncta eſt denſitas, alioqui enim præſens alimentum excipiunt, atque ita imbibunt, vt oblatum ſuggere videãtur. At quomodo triticum ſi non trahit, aquam ex fictilibus penetratis eorum lateribus ſuſcipere poteſt, quod non minimam vim denotare videtur? An humor



quo

quo fictilis corpus madet, in proximum triticum præ siccitate rarius factum subit, eoque iam imbuto quod sequitur similiter affectum vicino humiditatem cómunicat solo contactu, atque id fieri perseuerat donec prima grana iam multo humore referta eius nihil amplius excipiant, vt in rebus omnibus exsiccatis quę imbuuntur, fieri videmus. Non ergo trahit, sed tantùm excipit humorem tritici, vt quæcunque sicciora simul & rariora euasere.

## IN CAPVT XV.

*Argumentum.*

*Verùm cum abundè garrulati sumus, &c.* Redit ad explicationem secretionis vrinę Asclepiade relicto, iam cum iis agés qui admittunt illã per renes trãscolari. Vt verò id attractione fieri concludat, alios duos proponit modos, secũdum quos secerni nõ posse statim docet. Primus est vt serum ad renes sponte feratur, quadam electione atq; ratione impulsum: quod absurdum esse omnib. constat. Alter est, vt à vena caua per contractionem exprimatur in renes. 2 Hoc modo fieri non posse secretionem vrinę, duobus argumentis monstrat. Nempe quod



quòd sanguis totus simul cũ vrina ad renes compelleretur: Cui rei vel situs renũ contradicit. Nam eos venæ cauæ subiectos esse oporteret, nõ ad latera positos: & quòd si colatoriorum modo renes vrinam trãscolent, totum sanguinem ad hos ferri oporteat, vt duobus exemplis docet, vimineorum scilicet quæ torcularí subiiciuntur, & quallorum in quibus formatur caseus. Atqui venæ cauæ pars altera tantùm ad renes accedit, altera sursum defertur: Ex qua sanè vrina eo modo secerni non potest. 3 Cum igitur neutro prędictorum modorum vrina secernatur necesse est renibus attractionẽ concedi. Hi tamen non eo modo trahunt quẽ somniant qui nullam naturæ facultatem attribuũt, vt Epicurus, per atomos videlicet. Quæ ratio tam est inepta, vt satius sit ne trahere quidẽ eos dicere cũ Asclepiade.

## IN CAPVT XVI.

*Argumentum.*

*Porrò Erasistratus nescio quomodo contrà, &c.* Erasistratum iã aggreditur, qui vrinę separationem per renes quidem fieri dixit: sed quomodo fiat subticuit. Nã attractionẽ hìc nõ admittebat: Successione verò ad id ꝙ vacuatum est (vt ana-

(vt anadosim fieri posse arbitrabatur) vrinam secerni non posse, videbat. Porrò Erasistratum primò reprehendit, quòd solitus in aliorum opiniones animaduertere, Hippocratem non arguit de attractione sæpius loquentem: Sed tantùm de transglutitione agens obiter pronũtiet, nullum esse ventriculi tractum: quod scurrile potius est quàm rhetoricum, vel Dialecticum. 2 Simili enim modo loquẽdi Erasistrati opinionem refellas, contractionem stomachi nullam esse dicẽs, quã solam deglutitionis causam ille putabat. Nam quòd contractis superius œsophagi partibus inferiores laxentur in deglutiẽdo, vtriusque opinionis commune est argumentum. 3 Deinceps Galenus admonet, anadosin rectè fieri citra consecutionem ad id quod vacuatum est, si modò attractio concedatur: quã etsi non ignorauit Erasistratus, eius tamen meminisse noluit, nec contra eam dixit. Reprehenditur verò maximè, quia vrinæ secretionis modum non explicauit, cùm tamẽ alias naturæ functiones docuerit. 4 Cæterùm quòd vrina non secernatur per renes fuga vacui, vt anadosin fieri putauit Erasistratus, hoc argumento conuincitur, quòd nemo ischuriâ laboraret, quia non posset maior copia influere quàm assiduè vacuaretur. Neq; venarum expressione



sione id accidere potest (vt compressionem ventriculi alteram anadoseos causam ille statuit) cùm renum situs cõtradicat, vt superiori capite abunde fuit explicatum. Præter quæ alia nonnulla recenset Galenus incommoda, & plurimas absurditates. 5 Postremò Erasistratum iis difficultatibus impeditũ, vrinæ secretionis modum dissimulare maluisse, quã vel de ea dubitare vel Hippocrati suffragari, admonet. Atque in hoc minus malum haberi ipso Asclepiade, qui impudẽter mentitur nullam esse attractionem, exemplo duorum seruorum in furto deprehensorum, eleganter ostendit.

## IN CAPVT XVII.

*Argumentum.*

*Vniorum verò quicunque scilicet nominib. &c.* Hoc capite iuniorum medicorũ tres varias opiniones de vrinæ secretione proponit Galenus. Atque ii tales rationes comminiscebantur, vt Erasistratum præceptorem defenderent, & renes vrinam quidem transcolare, non tamen attrahere, monstrarent. 2 Prima & antiquior opinio fuit, ad superiores partes syncerum ferri sanguinem, serosiorem verò, vt

rò, vt pote grauiorem, inferiora petere, atque in renibus percolari. Quæ opinio vel ipsis Erasistratiis tandem suspecta est visa: quoniam duo supponeret falsa. Primum quòd prius grauis non fuerit, cum è ventriculo ad hepar ascendit materia, cui serum est confusum: Præter id quod nutrimenti vehiculum nō esset, si ita graue foret. Alterum absurdum est, quòd totum serum in renes deferri nequeat, cùm non sint in infernis partibus venæ cauæ siti, sed à lateribus: neq; inserta sit in eos vena caua, sed tantùm processus quosdã ad vtrumque mittat, vt ad alias pleraſq; partes. 3 Quæ successit opinio affirmabat serum ad renes sponte fluere, sanguinem aliò deferri, quemadmodum si aqua & oleum mixta effundantur humo, diuersa vtrumque via incedet. Verum qua ratione (hoc enim quæritur) ad renes potius tendit serum, ad reliquas verò partes innumeras, quę ex vena caua ramos obtinent, sanguis defertur? 4 Tertiam opinionem omnium pessimam iudicat Galenus. Ea fuit Lyci, qui renum nutritionis excrementum vrinam esse prædicauit. Refellitur verò à Galeno, hoc vnico argumento, quòd absurdum sit tantillam partem adeò copiosum reddere excrementum, cùm paulò minus tantùm meiamus, quantum bibimus, vt omnibus con-



cōfessum est. Quòd si reliquæ partes corporis ex proportione tantundē gignant excrementi, vesicæ plures ac multò capaciores ei excipiendo non sufficerent.

5 Tandē concludit Gal. à nemine antedictorum, præterquàm ab Hippocrate, bene explicatū fuisse quō vrina secernatur. Qui verò hanc per renes percolari prorsus non agnoscunt, coquis ineptiores videntur iam si vrina non excernitur fuga vacui, neq; sanguinis distributio fiet eo modo, neque bilis secretio, cum (vt metipse putat Erasistratus) omnia eodem modo ferantur.

*Ergo Lycus hic veluti oraculum quoddam ex adyto loquens, renum nutritionis excrementum esse vrin. &c.* Renes seroso sanguine nutriũtur, quem per venas arteriasque emulgẽtes perpetuò attrahunt: Familiaris enim illis est aquosior sanguis, cui' quantitatẽ maximã vena caua continet, minorẽ arteria magna. Hinc igitur serosum sanguinẽ extrahũt, eiusq; portionẽ iucundioré elaborantes sibi apponũt, agglutinãt, & similem substantiæ suę reddunt. Quod supest transcolatum p renum densitatẽ in vesicã demittitur. Atque id iã absolutè serũ, nõ amplius sanguis serosus dici videtur, q renib. excremẽtũ est. Quidã nõ inerudit' negat renes serum per se attrahere, sed quemadmodum magnes acum ferream,

*Renes sero so sanguine à se tracto per emulgentia vasa, nutrivi.*

inquit, ab occulta proprietate & substan
tiæ familiaritate attrahit, per accidés verò filum acui alligatum: sic renes suapte natura sanguinem alliciunt, tanquam proprium & familiare alimentum. Sed quoniam sanguis ille qui statim ab egressu ex hepate venam ascendit, est seroso excremento plurimo mixtus, serum etiá renes trahunt per accidens. Ego verò seroſum quidem sanguinem renibus conueniens & desideratum alimentum esse profiteor. Serum autem syncerius, eorundem excrementum, sed quod alteri parti, vt vesicæ, familiare sit. Quamobrem vt ad hanc facilius perueniret, natura eius conditionis renes effecit, vt sanguine seroso delectarentur. Sic enim fit, vt serum ad vesicam propius accedat. Galenus absurdum esse putat, renes tantam excrementi copiam reddere: quasi verò solis renibus istud accideret, non etiam ventriculo, cuius excrementum esse constat chylum ab eo ad intestina reiectum. Quippe in maxima ciborum quãtitate parum est eius quod alendo ventriculi corpori conueniat. Eodem modo cùm seroſus sanguis sit renibus iucũdior, nec multum habeat eius quod nutrire valet, illi plurimum trahere coguntur, vt in eo portionem conuenientiorem eligant, sibique assimilent. At pulmo, & cæteræ partes hepate



pate superiores, cùm naturâ suâ puriore alimento gaudeant, non possunt tantam excrementorum copiam colligere, nisi malè affecto corpore vitiosi humores dũtaxat concedantur pro melioribus expetitis, aut vitio partium laudabiles corrũpantur. Accidit enim vt non solùm pulmo, sed etiam partes eo superiores, mirandam superfluitatum copiam excernant, quemadmodum in pleuriticis, & catharro in pulmones defluente laborãtibus quotidiè obseruamus, & quædam vlcera incredibilem puris quantitatẽ breui tempore accumulãt. Quod igitur partes malè affectæ, aut morbi ratione, aut humorum prauitate patiuntur, id renib. ex natura præscriptũ est, vt excrementũ multum producant. Cùm enim eo delectentur quod in multa quantitate parum nutrire poteſt, accidit vt plurimũ excrementi coaceruent: non aliter sanè quàm si quis fructibus fugacibus, oleribus, & pane furfuraceo vescatur, & aquam bibat. Paucum enim ex horũ maiore copia sortietur nutrimentum, sed longè maximam recremen torũ quantitatem reiiciet.

* *
*

# LAVR. IOVBERTI

VALENTINI DELPHINATIS, *in Galeni librum secundum de facultatibus naturalibus, Annotationes.*

## ARGVMENTVM TOTIVS LIBRI.

VBI singulis partibus ineſſe vim tractricem admonuit, Eraſiſtratū de ἀναδόσει malè ſententem refutat. II. Deinde vrinæ ſecretionem alia ratione quàm per tractum fieri non poſſe, rēpetit, & abſurda quæ ſequuntur, niſi bilem quoque vi attractoria ſecerni recipias, varia declarat. III. Animalibus neceſſariò concedendas eſſe ſuas facultates, atque naturam per totum animal extenſam manere, ſubiungit: & quantum eius induſtria ab arte differat, ex fœtus formatione docet. tum etiam ſemini vim tractricem ineſſe, nēcnon alteratricem, & formatricem, nutricem atque auctricem, exponit. IIII. Quibus explicatis, Eraſiſtratum à Peripateticis



teticis maximè diſſentire probat, & non niſi verbotenus cum illis conſentire videri, dum naturā omnia alicuius gratia moliri teſtatur. V. Cumque is perperam de bilis excretione ſentiret, quod tracto ria facultate ad quiduis vti veretetur, eā dem perſequitur. VI. Cuius etiam opinionem de ἀναδόσει planè abſurdum eſſe, conuincit ex multis quæ illam ſequuntur incommodis, ad hoc propoſita neruuli nutritione. VII. Vnde concludit, alimentum non fuga vacui, ſed venarum & aliarum partium vi attractrice, diſtribui. VIII. Tandem humorum quoque generationem ignoraſſe Eraſiſtratum oſtēdit; eumque malè ſcripſiſſe bilem in cibis iā contineri. Mox qua ratione, quoque modo fiat concoctio, & humores in nobis gignantur, declarat. IX. Poſtremò virium, & imbecillitatis cauſas ab Eraſiſtrato minimè prętereundas, recenſet. humorumque tum naturalium, tum non naturalium varias ſpecies; atque generationis modum abſolutè, quantum huic tractationi cōuenire poteſt, perſequitur.

* *
*

## IN CAPVT I.

*Argumentum.*

PRæfatus vrinæ secretionem commodè fieri non posse, nisi facultas attractrix renibus concedatur, vt superiori libro fusissimè explicauit: eadem ratione cæteris partibus esse tribuendam admonet. 2 Deinde aduersus Erasistratũ agit, de ἀναδόσει malè sentientem, quod nollet hanc fieri per attractionem. Cui Asclepiadem rectè contradixisse ostendit, cùm non sit necesse vase aliquo vacuato, aut vacuum accidere, aut proximã rem sequi: quia si vas molle est, vt vena in sese considere potest. 3 Cæterum quia idem volebat, non tãtùm succesione ad vacuatum perfici ἀνάδοσιν, sed etiãm ventriculi & venarum compressione, neutram rationem veram esse demonstrat. quippe si fuga vacui fiat ἀνάδοσις, nunquã accidet plethora, nisi fortè circa cor & pulmonem. Ille enim soli cordi concedit vt sanguinem ad se trahat. Expressio verò tum ventriculi, tum venarum, ad extremas vsque partes suum tenorem seruare non potest: aut si seruat, cur additur etiam illa successio?

*Vesicã vrinariam nutriri sero à se attracto*

*Non esse diuersam rationem qua vrina, &c.*

Hic locus innuere videtur, sero à renibus tracto



tracto vesicam vrinariam nutriri, & vesiculam felleam bile, cùm horum secretionis eandem rationem esse scribat, quę est ἀνάδοσις. At lib. 3. cap. duodecimo, altera nobis occurret sententia, quæ istud apertius docebit. Illic enim Galenus admonet, ventrem postquàm abunde cibis est satiatus, & quod vtilissimum sibi in his est in tunicas suas sugendo reposuit, tum quod reliquum est tanquam onus alienũ subiicere. Idem & vesicæ faciunt, inquit, „ vbi quodvis eorum quæ attraxerint vel „ multitudine distendẽs, vel qualitate mordens, redditur molestum. Verùm quia ipse Gal. sibi contradicit, alibi scribens vesicam non trahere à renibus, quemadmodum nec intestina à vẽtriculo: hic potius ipsam rationem, quàm illius authoritatẽ sequendam esse putamus. Ratio verò potissima ex vesicæ constructione desumitur: quæ si ventriculi & vteri vim tractricem confirmare potest, hic quoque palam arguit. Nam præter obliquos & trãsuersos, etiam rectos habet villos, qui attractionis cuiusdam euidentioris ergò fabrefacti creduntur. Quod si velis omnigenas fibras huic ad solam extensionem esse datas, vt cuti & membranis, quia sæpè capacissimam fieri oportet, quid de vreterum structura respondeas, qui per longitudinem ductos villos habent, vt à

renibus

Universidad de Deusto Biblioteca



renibus faciliùs attrahant? Nam si tātùm excernitur serum, non etiam trahitur, vt reteribus transuersi villi erant conuenientiores, quemadmodum intestinis. Atqui vesicæ illi meatus idem præstare debebāt, ꝙ gula vētriculo, vt per eos veluti quasdā manus serū iā renib. displicēs arriperet. Quod si facit, eodē prorsus fruitur ac vtitur, cū nostri corporis partes aliud nihil trahere norint, quàm ꝙ sibi cōueniens est & familiare. Tale verò dicitur, quicquid illarum conditioni & naturæ congruit, vt aliqua saltem portione in earum substantiam possit transire, &c.

POSTHIVS.

HIs addebat D. Ioubertus, etiā κύστην fellis bile nutriri, & intestina portione eorum quæ ipsa continent. Sed tandem euulgata, & sexto Parad. Deca. 2. inserta, hic minimè repetenda fuerunt.

*Ne sanguis quidem redundantia, &c.* Πλῆθος vel πληθώρα est, vbi omnes humores seruata sua proportione ex æquo sunt ad aucti, vel qui ex ipsis peculiariter sanguis dicitur. Hanc Græci πολυαιμίαν quoque appellant. Non posse verò accidere si tantùm fuga vacui, alimentum distribuatur, facilè est assequi. Nam nisi plus accedat quàm



quàm absumitur, neque amplior corporis moles euadet, neque vasa turgebunt sanguine distenta, sed in eodem statu manebunt: sin plurimum affluat, parum verò à singulis partibus dissipetur, nimisque satiatæ partes grauabuntur. vnde Galenus libro sexto, sanitatis tuendæ: vbi quod ex corpore exhalat minus est iis quæ accipit, redundantiæ morbi oriri consueuerunt. Sed qua ratione fieri potest, vt venæ ad partium nutritionem destinatæ, plus sanguinis quàm sit necesse contineant, si ad eas non nisi attractus peruenit? Debet enim duntaxat ad eius proportionem quod de triplici substantia disperditur, allici: vt si plurimum dissipetur, plurimus accedat, & contrà paucus si parua est iactura. An licet non multum inaniantur partes, proindeque earum tractrix facultas vix moueatur, nihilominus ad eas etiam inuitas, sanguis vasorum protruditur. Id quidem faciliorem promptioremque facit ἀνάδοσιν, cùm partium aliæ à seipsis reiiciunt, aliæ trahunt humores. At quamuis non alliciant, si vel quantitate nimia grauatæ, vel ingrata qualitate sint lacessitæ, partes superiores in alias sese exonerant. Grauari autem solent, cum hepar continuò multùm sangui

*Qui fieri potest vt venæ plus sanguinis suscipiant quàm sit ex vsu, si attractus ad eas peruenit.*

sanguinis conficit, eiusq; portione iucundiore expletum sui nutrimenti reliquias in venam cauam deponit: quòd expultrici facultatis opera sit, non minus quàm ipsius chyli ad intestina transumptio. Et quemadmodum ista, chyli portione sibi conueniente satiata, non cessant comprimendo reliqua ad anum perducere: Sic venæ accepto sanguine satiatæ, illum assiduè propellũt, donec ad suos fines perueniatur. Et quamuis partes ad quas ipsæ perueniunt, supra mediocritatẽ expletæ sint, humores tamen à seipsis proiiciendo illas obruunt. Vnde sæpius sanguineę inflammationes, & furunculi toto corpore erumpentes, excitantur. Cur verò iecur assiduè nouum paret sanguinem, etsi corporis habitus illum non expetat, nec naturali desiderio impulsus ab illo nutrimentum expostulet, rationẽ esse puto, quia oblato laudabili chylo, sanguinem quem habet fastidire incipit, & recentiore gaudet alimento. Proinde quandiu à ventriculo voraci copiosus atque iucundus conceditur chylus, non cessat hepar multum attrahere, & sanguinẽ confectum vix degustatum à se non multò post abiicere, vt nouum prolectet pabulum. Quòd si quando accidat, vt in venam quantum potest ad superiora sanguinem protrudente, locus non supersit humori



mori qui continuò accedit recipiendo, aut venæ alicubi rumpantur, aut hepar ad intestina, per quas suscepit chylum venas, sanguinem quasi vomendo reiicit (vnde fit cruenta δυσεντερία, qualis mutilato corpore accidere solet) aut sanguinem gignere definit, & iam collecto ita granatur vt suffocationi sit proximum. Quæ incommoda sanè grauissima prospiciens Hippocrates, prudenter iubet illum extremè bonum habitum soluere sine mora: vt corpus denuò nutriri incipiat. Fernelius lib. 6. Physiologiæ, cap. 2. aliam rationẽ esse putat, cur corporis habitus, eiusque venæ, extra modum impleantur, quod in illo habitu athletico vsu uenire compertum & proditũ esse scribit: nempe alimenta pleraque tenui admodum substantia prædita, in venas se protrudere, atque penetrare, respondet. Atqui, ô Ferneli, quæ corporis habitum succulentiorem, & athleticam illam plenitudinem efficiunt, tenuibus alimentis omnino contraria sunt, vt panis azymus, caro suilla, & crassius vinum: quibus veri præcipuique Athletæ (ἕξεις, id est graues, appellati) sese ingurgitare solebant. Quòd de vino tenuissimo adfers, & si nõ trahatur, in venas peruadere posse, quẽadmodum (ais) complura medicamenta angustas admodum vias, venasque præ-

*Aphor. 3. lib. 1.*

*Fernelii ratio improbatur.*

tenues

tenues subeũt,& nullam nõ corporis partem peragrant: multis rationibus cõfutari potest. Nam quòd pro exemplo vinum proponis πλείστης (cuius occasionem explicare tentas) committere nequit, si verum est quod paulò ante scripsisti, & quotidiano vsu comprobatur, tenuẽ ac potens vinum, quale ferè haustũ est, vixque vlla ex parte commutatũ, mox profundit. Quметiam licet tenuissimum supponamus, non tamen vsqueadeò lene est, vt sponte sursum feratur, cum si effundatur inferiora petat. Quod si velis assumptum iam,& tenuius & leuius fieri, agedũ eò tenuitatis perueniat, vt stillaticium (aquam vitæ siue vitis, appellant) æquet. Nunquid suopte nutu sponteque ad superiora penetrare poterat? minimè arbitror, cùm etiam grauem esse humorem, vinũ illud distillatum, sciamus. Nihil igitur præter vapores (qui è tenui vino plurimi possunt excitari, natura leues) in venas vltrò subibit. De medicamẽtis quòd narras, illa aut substantiæ tenuitate, aut alia quapiam vi ingenita sibi, in corporis interiora penetrare: solutu non est difficile, nempe catarctica, etsi ventrem inferiorem minimè prætereant, possunt tamen suas vires ipsa partium continuitate longius diffundere. Quod si velis nonnul-



nonnullam medicamenti portionem superiores partes attingere, Esto vapores efferantur, quos non paucos & valdè ingratos, emittere solet pharmacum, vt vel nondum ori admorum, plurimis nauseã excitet: & humorum agitationem faciat. Quæris quid obstabit, quò minùs multa alimenta, prætenui substantia, aliisque facultatibus valeant, quibus velut impulsa promptiùs ferantur, ac permanent in corpus: Respondi iam, ex crassioribus, non ex tenuissimis alimentis accidere πλείστης, cùm hæc vt promptè nutriunt, sic facili negotio dissipentur. vnde illud Hippocratis Aphorismo decimo octauo, libro secundo, Quæ affatim & velociter nutriunt, velociter quoque excernuntur. Neque verò in alimentis vlla qualitas esse potest, quæ illa sursum promoueat, sed tantùm quæ dispo-
nat & præparet ad faciliorem distribu-
tionem: vt lenitas atque tenuitas; quibus prædita cùm trahenti non reluctantur, promptè ferri possunt: vbi saltem vasorum amplitudo simul adest, & trahentis facultatis robur valet. Quæ tres celerioris transuectionis causæ, à teipso rectè assignãtur. Rogas insuper, none potius invenas se protruder, quàm partium vi protectetur humor, si quis semel ad

satieta-

satietatem impletus, postridie crudus se rursum ingurgitet. Quasi verò satiato ventre supra modum, vel etiam saburrato, necesse sit reliquas partes eodem modo saturatas esse. Plerumque sanè fit, vt ventre pleniſsimo cæteræ partes alimento indigeant, & famelicæ langueant, eò quòd impuriores illos succos negligunt, vel ægrè trahunt, ob id non explentur, nec cessant appetere, & à venis laudabiles humores expostulare: quos cùm ne hepar quidem sortiri possit (quia ex crudiore chylo sanguis laudatus non fit, altera concoctione alterius vitium non emendante) accidit vt corporis habitus emacietur: quamuis nonnunquam crassior apparet, pituitoso humore scilicet, qui similarium partiũ inania spatia occupat, refertus atque turmens. Porrò qua ratione putas crudos humores in venas se protrudere, potius quàm à mẽbris attrahi, cùm illos vt crassiores, sic natura grauiores esse constet? Atqui ne tenuissima quidem sponte ascendunt, vt ostendimus. Alioqui sanè frustra erit vis attractrix, cum omnia, tum leuia, tum grauia, sese propria vi in corporis interiora traiicere possint. Nam grauium saltem nomine hæc retineri debebat. Omitto quod ex priore cruditate meatus occupati esse possunt, quos ne solutos quidem, nisi attrahentis partis robore



bore agitatus humor, permeet. Crudum verò fore cibum, quo crudus postridie quis se rursus ingurgitat, nemini dubium esse puto. Nam prior cruditas ventriculi vires diminuit, vt iustam quãtitatem vix benè concoquere possit. Quantò minus prægrauans ciborum moles superabitur. Postremò scisciturus, cur pluribus & immodicis humorum ponderibus sese obruent, si partes satietatem expleuerunt? Huic dubio satisfecimus, dũ initio à nobis monstratum est, etiam satiatas partes humorum copia obrui. quia & si non amplius trahant, nihilo secius tamen ad eas inuitus protruditur sanguis, rasorum cõpressione. Non enim sola particularũ attractione, sed & venarũ expulsione, perficitur ἀνάδοσις. Quorũdam subterfugium deinceps confutat Fernelius, multò sanè validioribus argumentis, quàm propriã stabilierit opinionem.

## IN CAPVT II.

*Argumẽtum.*

RGo rursus, &c. Nullo argumẽto magis cõuinci qui attractricem non recipiunt, quàm vrinæ secretione, primũ docet, cum talis actio nulla alia ratione explicari possit. Mox alterum errorẽ persequitur,

Universidad de Deusto Biblioteca



ſequitur, quod nec bilis flauæ ſecretionem illi demonſtrare ſciant. Qui autem parùm referre putant, & ſi ſanguini permiſta bilis relinquatur, etiam Eraſiſtrato præceptori apertè contradicũt. 2 Deinceps eorũ cõmentũ refutat, qui volebant flauam bilem à ſanguine ſponte ſeparari, cum auguſtiora veſiculæ oſtiolia ſubiret, quç ſanguis bile craſsior penetrare non poteſt. Cur enim ſerum bile tenuius vt & liquidius, illos meatus nõ præoccupat? Bilem verò eſſe craſsiorem ſero, facilè experimur, quod Eraſiſtratius quidam ſenſibus fidem detrahens, ineptè auſus eſt negare.

*In vrina & talis quæ eſſe non poſſit.* In ſanguinis diſtributione aliquid veriſimilitudinis habet ſucceſsio ad id quod vacuatũ eſt. Nã partibus noſtri corporis inanitis, aliud neceſſariò ſequi oportet, niſi tamẽ conſidere, aut cõſtringi valeãt. In vrinæ verò ſecretione, illã nullo modo locũ habere poſſe Galenus exiſtimat, vt qui renes & veſicã ſero à ſe tracto nutriri nõ animaduerterit. At nos, & ſi per veſicæ collũ nihil emittatur, nõ aliter ἰσχουρίαν accedere putamus, q̃ πληθῶραν totius corporis ſcilicet iis qui cõtinẽt vaſis, ad partes minimè trahẽtes, neq; inanitas, humores iã ſibi diſplicẽtes (quos tamen prius iucunde allexerint) propellentibus.

*Geleni ratiocinatio improbatur.*

IN



## IN CAPVT III.

*Argumẽ.*

ERgo nugæ maximæ ſunt, &c. Animalium corpora minimum tẽporis integra manere poſſe, niſi naturam ſeu formam cuiuſque, mox ab initio ſuis viribus prędítam, & corpori pręfectam, conſtituas, primum admonet. Quippe omnia breui corruent, ſi pro ſolius materiæ nutu, aut meatuũ idoneo ſitu ac magnitudine actiones naturales fiant, vt Eraſiſtratus voluiſſe videtur, quẽ Gal. ſibiipſi apertè cõtradicere oſtẽdit. 2 Vt verò mirũ naturæ artificium explicet, quantum natura ſtatuariam artem (quæ etiam ſuſpicitur vulgò) ſuperet, demõſtrat. Nempe quòd interiores partes, & numero plures, & forma diuerſas, non minus quàm externas elaborãt, cũ ſtatuarius externas duntaxat exprimat. Neque tãtùm finxit Natura, ſed etiam auxit, & deinceps conſeruat, corpori inhabitans, quod operi ſuo non pręſtat ſtatuarius. 3 Alterum diſcrimẽ eſt, quòd natura materiã quã tractat ſemper in aliam ſpeciẽ permutet, abolita veteri forma vt ex ſãguine partes exãgues vocatas ac ſolidas magna ex parte faciat. ſtatuari⁹ verò datã materiã immutare nõ valet. 4 Deinceps naturã, & ſemen

men actu generans, idem esse docet: atque hinc suas facultates ineſſe, priusquã in materia exerceãtur, & si nusquam appareant. Eas enim tum explicare aggreditur, cùm sanguinis iusta quantitas (sine qua nihil agere potest, vt artifex quinis materia destitutus manet otiosus) concessa est. 5 Siquidẽ prima seminis (quod iam natura dici meretur) actio est, vt sanguinem roris modo attrahat, nõ minus, neque aliter, quàm magnes ferrum. Deinde illum sibi assimilet, quo sensim augeatur. Vnde constat iã duas expromi facultates ab Erasistrato prætermissas, tractricẽ & immutatricẽ. Post quas formatrix apparere incipit, singulas partes effingens. 6 His absolutis, nihil superesse videtur, nisi vt ad iustã magnitudinẽ partes omnes perueniant, quod fit vera auctione, in omnem dimentionem extensione facta, idque nutritionis ope. Quæ verò etiam num fiunt, & ad formã progrediũtur, nõ augeri, sed generari propriè, velut cum domus structura continuatur, ostendit Galenus.

*Durare animalia non possent, &c.* Imò ne gigni quidem, cùm nisi immutatrice & formatrice vi prædita sit natura, nõ possit animal produci. Non solùm verò has, sed etiam tractricem, auctricẽ, & nutricem seminibus ineſſe, mox docebit Gal. vt



vt probet facultates statim ab initio, ipsaque prima cõformatione, corporibus animalium fuisse inditas, vel à semine (quod illas potentia cotinebat) in corporis forma, velut hæreditario quodam iure à parentibus accepto, relictas.

*Quippe si nullius ea curæ mandemus, &c.* Quemadmodum nisi Magistratus satellitio munitus ciues in officio contineat, omnibus pro suo arbitratu ac effræni licentia viuentibus, mox concordia (quæ ciuitatũ veluti anima, ac vita, est) peribit: Sic nisi forma corporibus præsit, quę suas uires, tanquã satellites habeat, quibus etiam grauia sursum, & leuia deorsum ferri iubeat, humores nulli ad nutriẽdas partes superiores, nulliq; spiritꝰ ad inferiora peruenient, sed cuncta naturę suæ momentis ac nutibus permittentur.

*Forma quid præstet viuentibus, comparatione docetur.*

*At quisi præditi his sumus, &c.* Facit quidem certa partium cõformatio, decensque situs vt actiones perfectiùs obeantur. Nam vesicæ felleæ angustiores meatus sinceriori bili extrahendæ conueniunt, vt eiusdem quoque positio ad hanc adfert. Verùm præcipua secretionis eiꝰ occasio est, verticulę facultas attractrix cuiꝰ reliquæ tãtùm adiuuãtes causę dici merẽtur, vt iis ad bilis separationẽ absolutè non indigeamus, sed tãtùm ad exactiorem

& iorem separationem.

*Quippe ita sanguis esset cūcta animalis.* Quo modo sit accipiēdum quod Galenus sæpè inculcat partes omnes ex sanguine ortum habere, docuimus annotatione quadam in cap. sextum libri primi. Hic verò locus expostulare videtur vt discutiamus, an semen materno sanguine augeri oporteat. Fernelius non prius ex vtero sanguinem allici quàm semen totū in partium solidarum cōstitutionem fuerit absumptum, clarè docet, inquiens,

*Vtrum semen sanguine augeri oporteat*

*cap. 10. lib. 7. physiolog.*

" Hactenus sola exstitit solidarum partium
" cōformatio ex puro semine, quod quan-
" tulumcunque initio cōceptum est à pa-
" rentibus nihil auctum, nihil amplificatū,
" satis est partibus omnibus cōformādis.
" Tum inde sanguis ab vtero prolicitur.

Quam opinionē olim ipse defendi, sed iam falsam esse iudico. Nam cur statim à cōceptu cohibetur sanguis per singulos mentes profundi solitus, nisi quia semen ad sui augmētationem eo indiget, quem familiaritate quadam appetens attrahit, attractum retinet atque assimilat? Neque enim vires desunt: quum semenis forma eas omnes contineat quę mox exerceri incipiunt. Neque abest materia (cuius defectu plerumque otiosæ manēt facultates) cùm vterū circunstātes venę, in quib' sensim mult' colligitur sanguis, plurimo



plurimo sint refertę. Neq; nō grat' est sanguis spermati, quādo ex sāguine vi testiū elaborato fiat sperma. Cuiusq; verò nutritio ex iisdē fieri solet, ex quibus originē duxit. Atq; si vnūquodq; aliud sibi simile, data cōueniēti materia, pducere valet, semē cui plurimę insūt vires ex sanguine sibi augmētū cōciliabit. Quid verò facultates illas in otio retinebit, cū materies circa quā exerceātur, proxima sit? Nunquid solidis partib' iā absolutis facultates ilię, nutrix atq; auctrix, accedūt, quasi in semine prius nō extitisset? Nū partiū certā conformationē desiderāt? An potius caloris natiui ac tēperamēti opera exerceri solet? Nónne semini, pl'q; solidis partib' familiaris est sāguis, vt q ad illud ppius accedat? Cur ergo nō trahitur cū facultates cōcessa materia feriari nequeāt? Si q diu solidę partes fingūtur, nullo est op' sāguine. quā ob rēis primo saltē mēse solito more nō excernitur, cū nō ante tricesimū diē in marib', in fœminis verò aliquāto posteriùs, absolui dicātur? Neq; enim est q respōdeas, cōceptū semē vasorū orificia occupare, ne possit effluere sāguis: cū nōnullis grauidis etiā toto gesta tiōis tēpore fluāt mēses, exvenis s. quę in collo vteri sūt. Ab interiorib' enim, quæ desinunt in vteri capacitatem, secundinæ pendent, vt nihil per eas reiiciatur,

vel auctore Galeno commentario in Aphorismũ *60.li.3. Cùm igitur sæpe menstrui excernendi instante periodo mulier cõcipiat, sanguis verò iam colligi inceptus non erumpat, argumento est illũ à semine aliqua portione absumi, atque suspẽdi solitum cursum, quòd veluti quadam deriuatione aliò trahatur. Sed quis dubitat, conceptum in dies maiorem euadere, vt decimo quinto die grandior quàm sexto vel septimo conspiciatur, & tricesimo (quo demũ, perfectè cõformatas partes esse volunt) maior sit quàm initio cõcepti semimis moles? Quæ si vera sunt, sperma interim sese aluisse constat; siquidẽ absque nutritione nihil uerè augeri Galenus docebit in huius capitis progressu, & anteà docuit lib.1. cap. 7. Quietiam vasorum, per quæ fœtus inuolucra vteri acetabulis connectuntur, generatio, manifestè arguit, sanguinem statim ab initio ad semẽ deferri. Acetabula dicuntur ipsi Galeno, venarum capita, per quæ singulis mensibus sanguis excrementitius in vuluam deriuatur. Quodcunque verò ex his orificijs attigerit semen vtero conceptum, statim alimentum per illud ad sese trahit: cũq; illud sibi membranã, velut crustam quandã, mox producat (vt etiã post tres dies tunicã circũuolutũ excidere visum sit

*lib.1. de semi. cap. 7.*

*lib.1. de semi. cap. 4.*



sit Galeno) quæ cõtinuò magis magisque siccescẽs induratur, ni sãguis assiduè tractus in mẽbrana molliore factã viam retineret, paulò post nõ esset quà ille posset allici. Hoc Galen⁹ rectè explicat lib.1. de semine, cap.6. vbi docet inuolucra tandẽ ad perfectã duritiẽ venire, solasque eas partes relinqui perforatas, per quas sanguinis & spirit⁹ à venis arteriisq; maternis trãsmissio fieri solita est. Nã cũ nullo vnquam tẽpore quiescat attractio (inquit) » Mẽbranæ foramina semper manent, nec » vnquã possint cõsolidari. Quin etiã ꝑ ractione multitudinis quæ attrahitur assi- » duè augescũt, atq; ita diutina perforati- » one canaliculata & perfecta via, in vaso- » rum instrumentũ euadunt, quæ vteri ve- » nis & arteriis agglutinantur. Eandẽ planè sententiam Fernelius refert, capite. 9 præcitati libri de χωρίῳ membrana scribens in hũc modum. Ætate cùm sit, vtero » committitur ac adhærescit per ora vaso- » rum quæ in vterum desinunt, ea dicun- » tur acetabula per quæ semen alimentum » ad se rapit. Perforatur enim membrana, » vt que mollis adhuc & recens sit coacta. » Quæ verba superius citatis prorsus cõ- » tradicunt. Hic siquidem nutriri semẽ fatetur. Porrò concepti seminis auctionẽ fieri non dicimus, quasi augescendi facultas sola primis diebus exerceatur, do

*Nutritem & formatricem, simul exerceri.*

nec sufficiēs materiæ copia sit: cùm simul etiam formatrix agere incipiat. Nā statim atque fœcundū semen vteri sinu cōprehensum fuerit, illius vires omnes excitantur, insitumque munus reipsa obire inchoant. Quippe ingenita vtero ea est facultas alteri nulli parti cōcessa, quæ sopitas & delitescentes seminis vires, quasi discusso torpore ad agendum extimulare queat. Mox igitur vires explicantur, Attractrix, Immutatrix, & cum nutrice Adauctrix, nécnon formatrix quę nullo non temporis momento operibus suis incumbunt. & auctrix quidem seminis molem ex attracto sanguine assiduè maiorē facere studet, interim dum formatrix semen ipsum variè distrahit, eiusque partes secernit (hoc enim simplex non est & vniusmodi, quanquā tale apparet, vt annotatione quadā in caput quintū docuimus) quò singula demum in propriā naturam redeant, & partibus effingēdis suggerātur, à quibus olim decesserunt. Cum facta est aliqua partium distractio, & iam delineatarum distinctio quædam apparet, actio perseverans nō amplius ad semē sed ad partes corporis referri debet: quę assiduè per nutritionē augentur, quousq; ad iustā magnitudinē peruenerint, q terminus est adolescētię cōstitutus. Ipsum verò semē augeri propriè



propriè dicimus, quandin nihil præter seminis formam conspicitur. Ex his facilè intelligi potest, cur partes omnes ex sanguine factas sæpius dicat ipse Galenus, cùm seminis initio cōcepti moles valde exigua, iniusta proportione ab iis quæ à sanguine sunt addita, superetur. Si enim vtriusque seminis quantitas, quū nascentis pueri corporea mole compa-
retur, vix (ac ne vix quidem) eius neruulis constituendis satisfeciſſe videbitur. Cuinam ergo reliquæ debētur? Sanguini profectò, quem ex materno sanguine semen attraxit. Veruntamen quia seminis formā nō retinet, sed à semine & partibus ex eo formatis in propriā substatiā prius cōuertitur, hinc fit vt omnes partes solidas ex semine factas esse, nutritas verò & adauctas ex sanguine, dicamus.

*Ad maris semē, &c.* Linacer dictionē (maris) ter hoc capite de suo addidit, vt Aristotelis sententiæ faueret, qui fœmineū semen infœcundū esse putauit. Gal. siquidē nulla distinctione maris aut fœminę, ex ipsa absolutè scribit. Censet enim vtrunq; ad cōformationē cōcurrere, vtapertè docuit aduersus Arist. disputās, li. 1. de semi. & post eū Fernel. li. 7. physiologię cap. 6.

*Nulla vero animalis partium, &c.* Cū fœtus animaliū, & infantes nostri recens in lucem ęditi, valdè rubeāt, & singulę eorū

partes

Universidad de Deusto Biblioteca



partes ad ossa vsque sanguine perfusæ videantur, suspecta esse poterit huiusmodi sententia: nisi quis obseruauerit tincturam illam paulò post deleri, cùm lacte aliquandiu victitarint. ex hoc siquidem sanguis efficitur, minus ruber eo qui per vmbilicum attractus & in fœtus iocinore denuò elaboratus, bis coctus vocitari potest. Cùm ergo tale sit alimentum, idque plurimum trahat fœtus, dum natura (primis annis eximio calore prępotens) corporis singulas partes in omnem dimensionem extendere festinat, nihil mirum quòd primis diebus omnia rubra spectentur.

*Medulla, &c.* Spinalis quidem medulla, vti etiam cerebrum, corporis nostri pars est, ossalis verò minimè, quin potius inter pinguedines recenseri debet, vt παραδίξῳ 7. decadis primæ ostẽdimus. Ast vtrum medulla etiam excrementum, vel potius alimentum dici mereatur, nos in cap. vltimum lib. 3. annotabimus.

*Quóue conglaciante, &c* Etsi dictio Græca concretionem ac densationem tam quæ à frigido quàm quæ à calido fit, denotet, hîc tamen coagulari vel conglutinari, potius quàm conglaciari vertere debuisset interpres: ne quis suspicetur materiæ nostri corporis spissationem ad frigus pertinere, quam Galenus rectè initio libri



libri primi sanitatis tuẽdę, eximio calori attribuit.

*Quod namque semen prius erat, &c.* Fernelius hanc Galeni sententiam eleganter exprimere videtur, inquiens, Quod nuper simplex semen erat à parẽtibus omissum, naturæ rationem sumit. Aut si explicatius hoc dici mauis. Quæ prius in semine sopita erat natura vis, & quasi intercepta tũ ad agẽdũ exuscitatur dũ primũ id innatum sibi officium peragit, quod diximus conceptionem esse, & nuncupari. Ambiguum enim est, an otiosum semen possis naturam appellare: quemadmodũ nos rectè vocare solemus dormientem Musicum.

*Li. 7. Physiol. ca. 9.*

*At quid erat semen? Principium animalis.* Sic initio libri 1. de sanitate tuenda: Sanguis seménque genitale (inquit) generationis nostræ primordia sunt. Illa ceu materies quædam apta concinnáque, & opifici ad quiduis sequax: hoc opificis rationẽ obtinens. Nempe quia sanguis nullas agẽdi vires habet, sed tantùm pro materia subiicitur: σπέρμα verò illi comparatum adeò paucum est, vt quod ex se tanquam materia præstat, parum esse videatur: plurimũ verò quod ceu artifex obit: ideò sanguis solius materiæ, & σπέρμα opificis duntaxat appellationem meruit. Quippe animam vegetantem, atque sentientem, viréſ-

*Nunquid semen artifex tãtum nõ etiã materia partiũ sit.*

virésq; insuper omnes iã cõtinet, quibus mox paretur corpus. Galenũ autẽ voluisse, etiã subiectæ materiæ rationẽ habere semẽ, ex iis satis cõstat quę fusissimè scripsit li. 1. de semi. aduersus Arist. qui aliter sensisse videtur. Hũc tamẽ Fernelius ca. vltimo suę Physiologiæ nititur excusare, qꝫ sæpenumero spermatis nomine eã facultatem designarit, quę in terrena crassitudine consistit, & cuius instrumenta sunt spiritus, atque calor. Opifex enim quatenus opifex est, pars non sit cõstituti artificii. Seminis verò corpus, seu terrenam & crassam portionem fœtui pro materia subiici manifestissimè innuit Arist. dũ scribit, Ossa in prima cõstitutione gignũtur, ex seminis excremẽto. & paulò post, Nerui etiã eodẽ modo quo ossa instituũtur, & ex eodẽ seminis excremẽto.

*Materiale namque menstruum est.*

POSTHIVS.

SAnguinem mẽstruum non esse pernicioſum & veneno proximum (vt plęrique existimãt) hic demonstrabat D. Ioubertus, enarratione fusissima & perelegantí: cui similem prorsus videas Prad. 1. Dec. 2. Ob id enim de industria à nobis id præter mittitur.

*Non aliter nutriri semẽ, quàm partes nostri corporis.*

*Qui tenuis adeò halituosusque, &c.* Eo modo partes singulę nostri corporis solẽt nutri, vt



ri, vt Gal. ipse narrat lib. 1. de semi. cap. 11. scribens post proprii humoris in singula membra attractionem, id quod est attractum, in multas particulas dissolutũ, paulatim quasi exhalatione, attrahentibus membris adiungitur. Et lib. 3. huius tractatus cap. 7 de ventriculi nutritione verba faciens, Quod in cibis optimũ est inquit, id halitus specie & paulatim sibi attrahit, atque in tunicis suis reponit, iisdémque adiungit. Quæ ideo recitare volui, vt non aliã spermatis quàm partium nostri corporis nutritionem esse, ostenderem.

*Corpus ri.*

*Corpus quãcatera partes non gignitur.*

*Quam Hippocrates sexta die, &c.* Hæc historia suspectum reddit librum de natura pueri, quòd verisimile non sit, Hipp. Musurgo meretrici consilium abortus faciendi dedisse, cùm piissimus vir sacro illo iure iurando caueat, ne fœtum corrũpentia præscribamus. Sunt qui illud excusare velint (sed frigidè admodum) respondentes, non fœtum sed κύημα, id est conceptũ semen tantùm excidisse, quod nondum partes conformatas, adeoꝫque vitæ exercitium, haberet.

*Corigitur ab initio, &c.* Quidam ineptè colligunt ex hoc loco, prius quàm cæteras partes, cor gigni, vt censuit Aristot. cùm tamẽ illud [ab initio] prioritatẽ nullam

lam denotet, sed tantùm primâ cuiusque formationem, in qua non solùm cor (hic sumptum pro exemplo) sed etiam reliqua valde parua spectantur. Nec verò putauit Galenus, Cor omnium primum fingi, cùm lib. 1. de semine, cor, hepar, & cerebrum eodem tempore discerni scribat: lib. verò de formatione fœtus, hepar cordi audeat præponere. De quo problemate Fernelius abundè, & ex Galeni sententia, cap. 10. lib. 7. Physi.

## IN CAPVT IIII.

*Argumẽ.* *Iam hæc parum nouit Erasist. &c.* Erasistratum minimè versatum esse in scriptis Peripateticorum, vt eius sectatores affirmabant, ex dogmatũ comparatione probat: Interim docens, Aristotelem illiusque discipulos Hippocraticę doctrinę interpretes tãtùm esse. 2 Deinde proposita cõtradictione opinionum ostendit, aut Peripateticos de natura malè sensisse, aut Erasistratũ, qui cum illis non nisi verbo tenus conuenit, naturam esse artificiosam, & nihil frustra facere, scribens, cùm reipsa tale axioma sæpe destruat. 3 Postremò neq; in logica speculatione cum Peripateticis consentire innuit, quod nec vera, nec necessariò



sariò concludentia (vt illi) proponere noluerit.

*Excremẽtorum qualitates à calore innato quæ fiant.*

*Iam verò vt in excrementis ipsis.* Excremẽtorum quidem qualitates, vt bilis flauities & amaritudo, melancholici humoris nigredo & austeritas ex concoctione, quã facit calor innatus, proueniunt. Non enim prius inerant ipsis eduliis, sed formę illorum immutatione tales accidêre. Fiunt verò excrementa diuersis qualitatibus prędita, etiam in perfectè sano homine, natiuo calore suam mediocritatem seruante. Quod autem eadem causa, pro materiæ diuersitate, varias qualitates inducere possit, vt humores & rubri, & pallidi, & virides, & purpurei, & nigri, aliqui salsi, alii dulces, & quidam amari gignantur, nos satis docuimus circa finem paradoxi quarti, deca. 1.

## IN CAPVT V.

*Ergo miretur fortasse, &c.* Persequitur Erasistratum de bilis secretione malè sentientem, quòd eam actionẽ permittat commodo orificiorũ vesiculæ situi, & angustiæ. Præter quæ somniabat communem quendam locum esse, excipiendo sanguini per venam por

tam delato dicatum, cuius sanguinis tenuiores portiones in vesiculę ostiola protrusæ (nam impetum à vētriculo factum eò vsque perseuerare putauit) exciperentur: crassiores venæ cauæ ramos patentiores subirent. 2 Deinceps admonet sequi permulta incommoda, quocunque modo quis locum illum communem interpretetur (neque enim Erasistratij in eo interpretando inter se conueniebāt) sed illud præcipuè, quòd sanguis nunquam rectè possit expurgari.

## IN CAPVT VI.

Argumentum.

*Verùm si quis attentè, &c.* Erasistratum nutritionis modum perperam intellexisse, proposito neruo demonstrare aggreditur, in quo successionem ad id quod est vacuatum, non habere locum ostendit. Fingebat verò illi neruum maiorem atque sensibilem, ex inuisibilibus & simplicissimis neruulis, arteriolis, & venulis componi, ita quidem permixtis, vt si acu tenuissima partem



tem aliquam pupugeris, tria simul diuidantur. 2 Opinionem hanc non posse defendi, siue continuum, siue ex atomis conflatum neruulū dicas, ostendit. 5 Nam si continuus supponatur, non admittet vacuum: sin ex atomis constet, nutritionis ratio nulla erit, cùm successio ad vacuatum in iis tantùm vim habere dicatur, quæ sensibilia sunt. 3 Addequ 10 Erasistrati sententiæ contradicunt, qui ita censent, cùm ille scripserit neruulum simplex & elementare corpus esse, hi cōpositum faciant. Præterea naturæ artem (quam Erasistratus prædicat) apertè 15 destruunt. Nulla enim futura est, si atomos recipias, cùm hæ nullas facultates habeant. Siquidem impatibiles & immutabiles esse præsumuntur. 4 Deinceps priorem interpretationem exagi- 20 tat, quæ Erasistrato magis conuenire videtur, atque nutritionem fieri non posse per successionem etiam si continuus detur neruus elementaris & simplex, in ægro valde extenuato docet, hac ratione 25 quòd successio ad vacuatum non plus alimenti accedere faciat, quàm effluat. Nisi verò plus apponatur, quàm vacuetur nunc, ille pristinum habitum nunquam recuperabit. Quòd verò ait Erasistratus, idcircò multum succedere, quia multa fit additio, planè

Universidad de Deusto
Biblioteca



absurdum est: cùm hæc effluuii proportionem, de illius sententia, sequatur.

Postremò qua ratione velit Erasistratus, alimenti in neruulos & arteriolas fieri translationem (quam διάδοσιν, non ἀπόδοσιν, vocabat) citatis verbis ostendit: in quibus illa Galeno placent, quòd scribit neruulum à lateribus nutriri, atq; ipsum nutrimentum attrahere.

*Nec venarum quidquam concidere* Huic cõtrarium esse videtur, quod scripsit cap. 1. libri huius, Erasistrati dilemma in venis locum non habere, cum possit earum tunica in seipsam sidere, eoque in cauitatẽ suam internam se recipere. An venæ, ubi constringantur, non tamẽ possunt vsque adeò corrugari, aut concidere, vt latera sese contingant? Ob id iis inanitis (cùm natura vacuũ non admittat) aliud necessariò consequitur. An potius ne adiecta quidem Asclepiadis limitatione sententiam illam posse defendi, Galenus his verbis significat.

*Ad eum modum quo compo.* Cùm Erasistratus venas & arterias similares ac simplicissimas constitueret, quæ sensum effugerent, quæque aliarum essent elementa, ex aduerso compositas appellabat, quæ manifestè apparerent.

*Quare necesse est statim ex ipso, &c.* Hic rursus interpres dictionẽ [maris] de suo peràm addit.



*Ea quæ apponuntur, iis quæ effluunt* Si paritas ea seruetur, corpus in eodem statu manebit, vt si minus apponatur, macilentum euadet: sin plusculum, πλαδᾷ fieri incipiet. Porrò quod in extenuato probare nititur, iisdem rationibus in corpore augescentis pueri demonstrari licet. Nisi enim multò plus sit quod apponitur, quàm id quod vacuatur, ad liberalem illam corporis proceritatem nemo vnquã perueniet.

## IN CAPVT VII.

*Ergo ad quem modum trahatur, &c.* Quum Erasistratus sui immemor iam videatur attractionẽ recipere, hanc Galenus dicit non fuga vacui, sed qualitatum conuenientia, fieri. 2 Mox nihil opus esse illa successione (quæ naturæ artem planè destruit) si ventriculi & venarum expressionem, vnà cum vi partium tractoria recipiamus, admonet. 3 Vnde Asclepiadis quoque lemma soluitur, vt amplius locũ non habeat: quod alioqui verissimũ est, tribus conditionib. constans non duabus tantùm vt volebat Erasistratus.

Argumentum.

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Ceu quæ hominem qui artificiosam, &c.* Si ad partes nutriendas fuga vacui deferũtur humores, id quadam naturæ necessitate (quia scilicet vacuum esse non potest) accidat oportet. quæ ratio nullam artem naturæ viuentium concedit, qua etiam grauia sursum, & grauia deorsum trahuntur.

## IN CAPVT VIII.

*Argumẽtum.*

*Atque hæc minime ignorasset Erasist. &c.* Humorum generationis causam medicos nosse debere, aduersus Erasistratum contendit, qui solus euacuationis rationem habendam esse perperam censebat. Est enim multò satius intellexisse, quibus modis inutilium generatio præoccupetur. 2 Ex eo quoque maximè reprehendendus venit, quòd sanguificationis defectum, vti chyloseos strationes, minimè diuiserit & explicarit. Vnde illi accidit, vt hydropis (quæ ex illa dependet) generationis causas varias ignorarit. 3 Et quia de philosophorum & medicorum olim celebrium



brium consensu, talium actionum (vt & reliquarum omnium) præcipua instrumenta sunt primæ qualitates, & ex his potissimum caliditas naturæ opera exercet: Si tales causas reiiciendas putasset, alias proponere ipse debuerat, Peripatheticorum sententia prius euersa: præsertim cùm solitus fuerit, vel leuissimas quasque opiniones refutare, & eiusmodi quæstio ad institutum maximè pertineat. 4 Deinceps maximi momenti esse docet, nonnullius vsus, quemadmodum putabat Erasistratus, illud definire, An bilis, aliaque excrementa in nobis gignantur, an potius in cibis prius extitissent. Nam & cibos nouisse oporteret qui plurimum excrementorum continent, & quibus de causis eorum secretio impediatur: vt illis neglectis, atque his immutatis, vitiosus corporis status corrigetur. 5 In corporibus verò ea gigni ex alimentis, hoc satis monstrat, quòd si bilis melli prius quàm assumatur inesset (vt illi affirmant) amarum gustantibus sentiretur. Præterea omnibus corporibus idem ex eius vsu contingeret. Atqui in nonnullis sanguinẽ laudatum, nõ bilem, ex eo fieri obseruamus. 6 Tandem eò redit, vt ostendat Erasistratum cum Peripateticis

Universidad de Deusto
Biblioteca



non consentire, quod nec caloris in Animalibus ὑφηγήσεως, nec sanguinis qualitatũ efficaciam, ab illis demonstratam agnoscat. 7 Postea variam succorum generationem pro diuersa caloris nostri temperie, gigni docet, idque authoritate, experimento, & ratione, quam ex eo confirmat, quòd per febres accidit. Nam si vlceri, aut buboni, febris superueniat, cùm ventriculus anteà nõ malè habuisset, mox deprauatè coquere incipit: quia scilicet caloris natiui qualitas est labefactata. 8 Non enim arteriarum mutata pulsatio, coctionis prauæ causa esse potest, cũ potiùs eam meliorem efficeret, in quib' vitalis spiritus ventriculi actionem iuuare creditur. Atqui spiritus proprietas illis dum febricitant à calore immodico destruitur. 9 Ad hæc homines quoq; (in quibus proprietas spiritus nihil, aut parum confert) per febres malè concoquunt: quia scilicet calor præter naturã excitatus actionem corrumpit, quæ ex commoda temperie nascitur. Vnde infert Galenus, morbum qui deprauatam concoctionem facit esse de primorũ morborum numero. 10 Postremò bilem in corporibus nostris gigni, & in cibis nõ prius extitisse, variis argumentis probat. & primùm quidem ex calidis naturis, locis, vitæ sortibus, ac morbis, in quibus



bus redundat bilis, vt in contrariis pituita. Deinde quòd vel longior inedia talem humorem in nobis producat. 11 Illud etiam confirmant, quæ extra corpus nostrum simili ratione fiunt: nempe dulcia quæque, si immodicè coquantur, primùm salsa, postea verò amara euadunt. Sic mel à calidiore corpore in bilem conuertitur, vt in sanguinem à frigidiore: quod præter rationem experientia quoque docet. 12 Quòd si non in corporib. nostris gignerentur humores, idem cibus in aliis bilem, in aliis sanguinẽ minimè produceret. Et quòd amarum gustantibus esset, id solùm bilem inferret. Dulcia verò, nihil aut parum bilis cuicũque naturæ concederent.

*Siquidem ex diuturnis hæmorrhoidibus.* Non minus à suppressis, quàm ab immodicè profluentibus menstruis, atque hæmorrhoidibus, hepar refrigerari dicitur: quia sanguinis pituitosi, aut melancholici copia maior natiuum calorem hebetat. Id quod non tantùm frigidioris qualitatis ratione, sed etiam quantitatis nimiæ, quę illum obruit, accidere constat. Nam vel laudatissimus sanguis, dum exuperat, vt in athletico habitu, natiuum calorẽ quẽ cuentilari nõ sinit, suffocare non rarò visus est. Cur autem frigidioris humoris largior euacuatio, corpus refrigeret, causam

*Vnde sanguinis pressio frigidioris humoris corpus refrigeret.*

*Cur frigidioris humoris laxam*

Universidad de Deusto Biblioteca



*gior euacuatio corpus refrigeret.*

sam esse volunt, quod vnà cum eo spiritu ũ (natura calidorum) inanitio plurima contingat. Omnibus siquidem illi sunt permixti, cum propriis cõceptaculis vix queant contineri, & præ maxima tenuitate effundantur. Proinde non laudatis solùm humoribus insunt, sed & prorsum inutilibus, quemadmodum sero hydropicorum abdomine contento, sudoribus & excrementis per aluum, excernendis. Quò fit vt istorum largior facta reiectio vires exoluat, non aliter quàm probi sanguinis iusta profusio,

*Ῥοῦς γυναικεῖος quibus potissimum fiat & vnde.*

*Nonnullis verò earum & qui, &c.* Profluuium muliebre appellant, non eam expurgationem quæ singulis mensibus fieri solet (vnde menstruorum appellatio) sed diuturnam vteri destillationem, qua mulierum eo affectu laborantium pudenda madent assiduè. Accidit potissimum fœminis laxa carne prędítis ac pituitosis, vt Gal. admonet lib. vj. de locis affectis, cap. 5. Quanquam defluens humor (qui à toto corpore excernitur) non omnibus sit pituitosus, sed biliosus, & melancholicus sæpe deprehendatur. Cæterùm ex cohibitione illius subita, non prius absumpta quę assiduè profluebat materia, facilè hydrops sequitur: propterea quòd hepar, & uenæ totius corporis, deinceps nimio atque inutili vacuãtur humore, vt nequeãt

rectè



rectè sanguificationem moliri.

*Vt qui ab ilibus incipiunt, alioue quopiam.*

Κονεῶνας Græci propriè appellant, ventris inferioris partes, ab infimis costis ad ossa ilion vocata, pertinentes: quia si eas cum supernis & infernis, vtrisque osseis, conferas, inanes esse videntur. Eædem flaccidæ solent deprehendi, nisi quis paulò antè fuerit esculentis poculentisque repletus. His oppositi sunt lumbi, postica pars ossea videlicet: cuius eadem est quę partium inanium altitudo. Inter hæc lactes, ieiunum, & alia intestina gracilia comprehenduntur, quorum inflammatio aquam intercutem efficere potest, qualem Hippocratem ait à parte inani ac lumbis incipere. Hanc fluor alui peculiariter comitari solet, estque (ni fallor) ea species hydropis, quam tympanitem appellant: vt etiam Gal. commentario in Aphor. 2. lib. citati, videtur innuẽre.

*Iliorum variæ appellationes.*

*Aph. 1. li. 2. progno.*

*Est enim ea prima generandi hydropis, &c.* Rectè sanè totius corporis immodicã refrigerationẽ hydropis causam statuit. Nam cũ omnes venæ sanguificationi incũbant (vt παραδόξῳ 4. Dec. 1. abũdè mõstrauimus) corporis habitu refrigerato, sanguis admodũ serosus fit. Huic sentẽtiæ astipulari videtur, ꝙ Gal. scribit c. 6. li. 5. Simp. ob hepatis refrigerationẽ cibũ q̃ reliq̃s partib. attribuitur, in sanguinem trãsmutari

non

Universidad de Deusto Biblioteca



non posse: quia, scilicet, cum illo refrigerantur vniuersæ corporis venæ.

*Simili genere atque ex ciborum concoctionis, &c.* Diarrhæa est alui fluxus, à toto corpore, vel aliqua parte, ad intestina, & ventriculum profluente humore, excitatus. Idem fit nonnunquam alimentis nõ probè concoctis, quando vnà cũ aquosis excrementis reiiciuntur. Cùm verò nulla prorsus fit concoctio, & cibi nihil immutati excernuntur, λειοντερία vocari solet.

*Cur à qualitatib. primis animal gubernari dicatur.*

*Quæ in corpore animalis sunt, omnia guber.* Animam ipsam corporis actionibus cunctis præesse, & suas facultates diuersis organis vtentem explicare, docuimus annotatione prima, in caput 5. lib. 1. Ex organis verò sunt qualitates illæ primę, quibus tum generationis, tum nutritionis materiam operibus suis accommodam natura reddere solet. At quia ipsæ qualitates primùm nobis occurrunt, & nostris sensibus (quos anima latet) subiiciuntur, ob id quasi actionum authores essent, iis animal gubernari subinde dicunt.

*Cur nõnulli putarint cibos in vẽtriculo non nisi putrefieri.*

*Eos qui putrefieri cibos autumant, &c.* Alij duce Erasistrato atteri cibum in ventre contendunt: alii Plistonico Praxagoræ discipulo, putrescere: alii credunt Hippocrati, per calorem cibos cõcoqui: Cels. in proëmio. Cæterùm qui alimenta in ventriculo putrescere existimarũt (cuius



ius opinionis fuisse Asclepiadem, colligimus ex cap. 7. lib. 3. fac. nat.) eo moueban tur quòd ea pristinam saporis odorisq; gratiam non seruent. Cùm enim cibus nonnunquam vomitu reiiciatur, isque graui ac molesto sapore & odore sensus feriat, cibos esse corruptos, non leuem suspitionem præbet. Quid quòd puri optimo chylus optimus quadam proportione respondet, cùm & albus & æqualis, & consistentia mediocris, minimumque fœtidus deprehendatur? Iis argumentis forsitan persuasi, affirmare ausi sunt, ventriculi coctionem esse veluti suppurationẽ, aut quandam putrefactionem. Quibus Galeni responsum satisfacere potest, ex cap. 7. lib. 3. huius tractationis non gustatu, non olfactu, sed virium præstantia & familiaritate ęstimandam esse concoctionis ventriculi salubritatem.

*In ea verò quæ de dirigendo agit.* Hi fortè censuerunt arteriarum pulsatione fieri ἀνάδοσιν, cùm illæ venas adhærentes percuterent. Nam ferè vbique venis appositæ sunt arteriæ, quas, dum assiduè agitantur, & venas commouere, & inde sanguinem protrudere, veluti concutiendo, illis persuasum esse potuit.

*In ea rursus quæ de respiratione, &c.* Huius opinionis fuit Plato, quam Galenus circa finem libri octaui de placitis Hippocratis,

Universidad de Deusto
Biblioteca



cratis, duobus nominibus redarguit: tum quia perſpirationis potius quam reſpirationis cauſam afferat: tum quia circumuolutione aëris, & fuga vacui, illum fieri voluerit. Porrò cùm Platonem de reſpiratione malè ſentientem Galeno refutanti in aliis aſſentiamur, illud tamen excipimus, quòd in eiuſmodi functione aliqua ſit attractio. ſi quidem aër fuga vacui ſuccedere, non à pulmonibus aut thorace trahi, ſolet: vt etiam colligimus ex Galeni libello de pulmonis & thoracis motu. Res verò ſic ſe habet. Dum thorax muſculorum ope (adeoque voluntariè) dilatatur, pulmones ſequuntur, neque ſinunt vacuum accidere. Cùm enim molli & laxa carne conſtent, poſſunt extẽſi ampliorem locum replere. Dũ verò illud fit, interiora pulmonum ſpatia magis ducta manent, quæ vt vacuum non detur, ſimul occupat ſubiens aër. Huiuſce rei argumentũ eſt, quòd ſi aër ſuccedẽdi libertate priuetur, thorax dilatari non poterit: quia ſcilicet pulmonis ſubſtantia non diffunderetur, niſi aliud ſubinde ſuos canales impleret. In magnis verò thoracis vulneribus, quia dũ is dilatatur, aër per plagam ſeſe inſinuans, capacitatem redditã maiorem præoccupat, pulmones immoti manent, quandoquidem neque innato, neq; voluntario motu ſunt præditi, ſed dun-

*Aerem inſpiratione minime trahi, ſed ſponte ſuccedere.*



dũtaxat pro alteri⁹ ratione agitari ſolẽt. Ex his demũ patere arbitror, nullam fieri propriè dictam attractionẽ, cũ ſola vacui fuga pulmones diffundantur, aërque ſuccedat, non tamen eo modo quem Plato recenſuit.

*Nec etiam contra eos qui in pulmonem.* Plutarchus (qui Galenum paucis annis præceſsiſſe creditur) ſympoſiacõn Decad. 7 Problem. 1. Eraſiſtrati argumenta quibus Platonis illam opinionẽ refelleret, proponit. Deinde cauſam illius defendendam ſuſcipit. Quem ſequutus Aulus Gellius, noctium Atticarum lib. 17. cap. 11. recitata Eraſiſtrari reprehenſione, Plutarchi pro Platone defenſionem eleganter recenſet, ſcribens: ἐπιγλωττίδα (Latini lingulam vocãt) non idcircò in oris faucib⁹ conſtitutam, ne quid ex potu influeret in arteriã (nã pulmoni quoq; fouẽdo rigandoq; neceſſarios humores videri) ſed appoſitã quaſi moderatricẽ quandam arbitramq; prohibendi admittendiúe quod ex ſalutis vſu foret: vti edulia quidẽ omnia defẽderet ab arteria, depelleretq; in ſtomachũ, potum aũt partiretur inter ſtomachũ & pulmonẽ: & quod ex eo admitti in pulmonẽ p arteriã deberet, nõ rapidũ id neq; vniuerſũ, ſed quaſi obice ſuſtẽtatũ ac repreſsũ ſenſim paulatimq; trãſmitteret, atq; õne reliquũ in alterã ſtomachi

*An potio tota in pulmonem ferratur.*

fiſtu-

Universidad de Deusto
Biblioteca



fistulam deriuaret. Hinc est quod auibus ἐπιγλώττιδα natura non produxit (inquit Plutarchus) quoniam non trahendo, aut sorbendo, sed potius immerso rostro potum paulatim transmittendo, irrorant arteriam & humectant: Cęterùm hîc obiter annotandum venit, Gelliũ manifestè hallucinari, qui ex Plutarcho refert Hippocratem illius Platonis sententiæ auctorẽ fuisse. Nam neque Plutarchus id habet, neque Hippocrates opinionem illam sustinuit. Quinimò lib. 4. de morbis, constanter, variisque rationibus probat, in pulmones potum minimè deferri. Galenus sententiam hanc proponit examinandam, Platonemque non voluisse totam potionem in pulmones deglutiri docet, cùm in eodem libro (Timæo videlicet) & cibos & potulenta in ventrem descendere, sæpius repetat. Transfusam verò portionem quandam per arteriæ interiorem tunicam exudare, qua pulmones irrorentur, non per mediam fistulam repentè totum infundi, ipse etiam recipit: atque id nec irritat, nec vllum penitus sensum efficit, dum per τραχεῖαν delabitur. Quòd si tanta fuerit copia, vt spiritus viam occupet, tussim excitabit & strangulationem. In pulmones verò nonnihil potionis deferri, cùm alia multa docent, tum id præcipuè, quòd si animal quodvis ad eam fi-

*Lib. 8. de Plac. Hip.*

*Aliquid potionis in pulmonem deferri.*



tim redegeris, vt aquam colore tinctam bibere patiatur, móxque iugulatum disseces, eodem colore infectus pulmo deprehendatur. Idem probat sputum è pulmonibus tussiendo reiectum à vini aut nigri aut rufi potione: illud enim colorátum videri solet. Quibus addere licet, quòd à potu (quia humectati sunt pulmones) nõ facilior modò, sed & copiosior sit spuitio. Præterea quod melius fluit post pocula sermo (vt ait Poeta:) vnde fit vt cantores, quibus nimia cõtentio præ siccitate asperitatẽ inducens, vocis gratiam obscurat, gutture sæpius irrigato delectentur, & dulcius canant. Porrò qua ratione fiat, vt semper nonnihil ipsius potus per asperã arteriã percoletur, neque id pulmonib' obsit, rectè explicat Galenus docens illud protinus ab instrumẽtis raptũ perfacilè quocunque distribui, nec vspiã aceruatũ in spiritus semita consistere: vnde nec animal ad tussim irritat. An mox à cordis sinistro ventriculo aër, humore plurimum madens, excipitur, eóque absumpto non multò post in arteriam magnam quidquid inest superflui reiicitur? Ab hac enim per emulgentes arterias renes bibitorum nõ minimam portionem sibi attrahunt. Quò fit vt à vini tenuioris potatione statim iniciendum sit. Tardius liquidem per venæ cauæ truncum per-

*Lib. 2. sim pli. ca. 17.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



uenire potest ad renes serú: Citiùs multo à pulmone in arteriam magnam, per transito corde subit. Huius quoque ratione, vini potus cor non tardè recreat & reficit, lypothymiamque præoccupat. § Neque verò absurdum videri debet, vinum corde superato in arteriã trãsmitti, cùm vel ipsum pus in pulmonibus genitum, hac via tandem aliquando per vrinas excernatur, teste Galeno. Et cur quæ so tam amplas emulgẽtes arteras renibus indidisset natura, nisi magna serosæ humiditatis portio illinc attrahẽda fuisset? Vnde verò largior huius copia, si ex potulentis non uenit, cùm arteriæ alioqui spirituoso sanguini continendo dicatę sint?

lib. 6. de loc. affect. cap. 4

*Quippe amaram gustantibus esset.* Nempe cum mel in nõnullis plurimã bilem producat, non parum bilis contineat oportet, si vera est Erasistrati opinio. Atqui multa bilis gustũ latere nõ potest. Quod verò subiũgit Galenus, omnibus simpliciter hominibus ęqualem ex eo bilem gigni debere, nõ satis vrget Erasistratum. Hic enim facilè respõdeat, inæquale esse bilis prouentũ in diuersis naturis, quod alię insigniorẽ, alię debiliorẽ secernendi bilios excrementi vim habeant, quandoquidem solùm confusorum separationem non generationem ille agnoscebat.

Contra



*Contra quæ natura admodum sunt, &c.* Aristoteles recenset quibusdam placuisse, exanguia iis quę sanguinem obtinẽt esse calidiora, & terrestrib⁹ aquatilia, vt etiã fœminas viris. At cuiusmodi opiniones iamdudum refutatæ euanuerunt. Quod verò ait Galenus hoc loco, exãguia per hyemẽ delitescere, otiosa & immota iacere, sanguineis quoque nõnullis cõuenire videmus: vt serpẽtibus, lacertis, gliribus ac vrsis, quæ scilicet frigidiore sanguine prædita frigoris impatientissima sunt. Eiusdem naturæ censetur fœmina, quæ licet multo sanguine abũdet, quia tamen pituirosiorẽ sortita est, min⁹ quàm vir frigus sustinere potest, eoque magis domi inclusa latitare cogitur.

lib. 2. de part. anim. cap. 2.

Ex sanguineis animalibus nullus frigidiore temperamenti vi fœmina

*In iis totum mel vertitur in flauã bilem.* Non sanè totum in bilem cõuertitur, sed longè maxima eius portio. Neque enim simplex & sincerus humor ex aliquo cibo fieri potest, vt eleganter monstrauit Fernelius.

lib. 6. physiol. cap. 4

*Dum in venis ab innato calore alteratur.* Calor natiuus tam qui partibus solidis ex primordiis naturæ generationis implãtatus manet, quàm qui è corde perpetuò scaturiens per vniuersum corpus diffũditur, substãtia est humida & spiritu osa, calore multo prędita, quę functionũ naturaliũ cẽsetur pręcipuũ instrumẽtum.

Calor natiuus quid sit.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Est verò illius caliditatis ad subiectã materiã certa proportio, in qua natiui caloris mediocritas esse dicitur, quam vltra citraque nequit consistere rectum. Si enim caliditas remissior fuerit, imbecillior is deprehẽdetur, neque poterit actiones perfectas edere: quẽadmodũ iusto acrior & intẽtior omnia corrũpet. Ex his tamẽ inferre nequeas. specie diuersos esse calores, natiuũ & exuperãtẽ, siue vrẽtem, qualis est febricitantiũ, cùm vnus & idẽ calor natiuus varios caliditatis gradus sustinere possit. Quorũ ratione diuersi ac sæpe contrarij sequuntur effectꝰ. Id quod Galenus hoc loci videtur satis explicare, dum calorem natiuum & mediocrẽ, & immodicũ appellat: quia scilicet qualitatũ intentio & remissio calorẽ nõ immutãt. Proinde si propriè loqui velis, caloré nostrũ, qui à natura tãtùm est, nũquã dices præter naturã, nisi addas vel auctũ vel diminutũ, hoc enim duntaxat præter naturã est, nõ calor ipse: qui à primordiis naturę generationis depẽdẽs insanis corporibꝰ, caliditatis quãdã mediocritatẽ seruat. Ea autẽ præter naturę institutũ violata, aut lãguet remissa caliditate, vel nimia perfusus omnia deprauat. Ex quibꝰ iã manifestè apparet q̃ verè antea scripserit Gal. ab ipso calore innato in excremẽtis qualitates, pnonire. Idẽ enim

*Calor natiuus & vrens specie non differunt.*

*cap. 4 lib huius.*



nim calor natiuus appellatus, humores excrementitios æquè ac laudabiles, pducit, ꝓ suæ qualitatis præcipuæ modo. Cęterum præter ipsius caloris tẽperationẽ, alimentorũ etiam diuersa natura, & eorumdẽ varia præparatio, ad multipliciũ humorũ generationẽ facit, tãquã materia. Siquidẽ vt nõ ex omni ligne fit Mercurius: sic alimentorum quędã facilius in sanguinem conuertuntur, alia maiori ex parte bilis euadunt, vti nõnulla mulrum pituitę, quędã melancholici humoris plurimũ gignere nata sunt. Hinc illa soluitur quæstio à Fernelio proposita. Fi etine possit, vt cùm tam multiplex & varia sit humorum natura, omnium vna sit procreatio, & ab eodẽ calore profecta.

*lib. 6. phy siol. cap. 4*

*Reliquos verò iuicos ex eodẽ immodico.* Non omnes quidẽ sed ij tãtùm qui supra sanguinis mediocritatẽ sũt vt bilis varię speciei, à calore natiuo supra modũ calido ceu causa efficiente, gignuntur. Pituita enim & melancholicus humor, vt potè frigidiores ac crudiores, ex imbecillo calore proueniunt. Imbecillum verò dicimus, etiam qui suam mediocritatẽ retinet, dum materiæ quam prorsus nequit euincere, comparatur.

*Qui calidi, à bili ortum habent, &c.* Si calidi morbi omnes ex bile sunt, quales dicentur quos sanguis efficit, vt Synochum

k 3 non

Universidad de Deusto Biblioteca



non putrem vocatã, & Phlegmonen veram ſimplicẽq; Non enim frigidi cenſeri poſſunt, cum ſanguis natura ſua calidior, per morbos quos adfert magis ac magis incaleſcat. Quòd ſi temperatum ſanguinem eſſe velis, vt docet Galenus, cùm temperatus nullus queat dici morbus, ſanguis naturæ ſuæ ſimiles morbos non excitabit. An Galeni propoſita ſentẽtia de eo quod maiore ex parte fit, intelligi debet, vt ferè omnes morbos calidos ex bile depẽdere cõcedimus. An ſanguis ꝓpriã cõditionẽ retinẽs ſolius quãtitatis nimiæ ratione morbos cõmittere poteſt, non qui ad tẽperiem ſpectent. Si enim à naturali ſuo ſtatu recedat pars tenuiſsima & pinguis, in bilem flauã, craſſior in atrã cõuertitur, vt alibi docet Galen⁹. Atq; ex his morborũ natura & cõditio pẽdebit, nõ iã ad ſanguinẽ referetur.

*Cõm. in li. de natu. hum.*

*Lib. 2. differ. ſeb. cap. 12.*

*Id verò Eraſiſtratus quoque ipſe, &c.* Nẽpe Galenus certò ſperat ſe ſuis rationibus conuicturũ Eraſiſtratũ, vt recipiat ſimilariũ partiũ (quales ſunt vẽtriculi tunicæ) morbos eſſe ex qualitatũ primarũ genere adeoq; intẽperiẽ primò & per ſe (quæ eſt morbi definitio) vẽtriculi actione corrumpere, vt amplexus attrittioniſq; vitium cauſari non liceat, quæ ad ſtructuram magis pertinere videntur.

*Sed quia ventriculus hos amplecti, &c.* Ventriculum cibos arctius complecti debe-



re, quò melior fiat cõcoctio, agnoſcim⁹. Oportet ſiquidẽ omni ex parte, & adeò cõpreſſe illũ cibos cõtinere, vt his prorſus adhæreſcere videatur, nec inane q̃dquam relinquat. Alioqui cibus in tanta capacitate huc illuc fluitans, neque ventriculi lateribus coarctatus, haudquaquam plenè concoqui poteſt, fitq́ue fluctuatio, quæ retentricis facultatis ſymptoma dicitur Galeno lib. 3. de ſymptomatum differentiis cap. 4. & lib. 3. de ſymptoma. cau. cap. 2. Ab Eraſiſtrato verò diſſentimus, quod ventriculi exactam illam comprehentionem, non præcipuam, ſed tãtùm ſine qua nõ rectè fieret, & adiuuãtem coctiones cauſam, eſſe volumus. Porrò ei quod adiungebat de ciborum attritione, neſcio an ſubſcribat Ferneli⁹, qui conceptis verbis illam Eraſiſtrati ſententiam exprimere videtur, inquiens ventriculum alimenta ſimul omnia frangere & exterendo comminuere: niſi tamen loquatur metaphoricè, quod etiam Eraſiſtratum feciſſe putamus. Quemadmodum enim ſolidiora quæq; attritione cõminuta, & in exactum leuorem reducta, humoreq; poſtmodum diſſoluta, in cremoris quandam ſpeciem reduci videm⁹; Eodem modo ex cibis craſsioribus atq; potu chilum à ventriculo produci, quis facilè credat. Rei tamẽ natura docet, vẽ-

*Cap. 1. lib. 6. phyſiol.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



triculi actionem veriùs elixationem dici, cùm sit in humido facta concoctio, vt docebit Galenus cap. septimo lib. tertii.

*Quomodo glandulæ per cõsensum intumescant.*

*Et ex eo bubo excitetur.* Inflammari solent quę sunt in emunctoriis vocatis glandulæ, cùm ad partes ex contusione dolẽtes effluit sanguis. Si quis enim in caput ceciderit, aut manũ, aut pedẽ, glandulæ colli vel axillarum vel inguinum, quà permeat sanguis ad locum affectum irrues, facilè phlegmonem concipiunt, qui peculiari nomine Bubo vocatur. Ab hoc verò febris non rarò excitatur, quia per maiora vasa quæ prædictis glãdulis fulciuntur, calor præter naturam adauctus paulò post ad cor peruenit, maximè cùm instat suppuratio. Nam (vt inquit Hipp.) Dum pus cõficitur dolores & febres accidũt magis, quàm ipso confecto.

*Aph. 47. lib. 2.*

*At si febricitet protinus, concoctio redd. &c.* Ciborum quidem coctionem (quæ prima dicitur) per febres fieri deteriorem, omnibus confessum est. Ast vtrum nocentium humorum concoctio febrilis caloris ope, melius perficiatur, iure dubitari potest, cùm immodicè aucta caliditas humores corrũpere potius quàm emẽdare videatur. Galenus tamen commentario in librum sextum Epidemiõ, febrẽ corizę & raucedini superuenientẽ, humorũ tales morbos efficiẽtium coctionem

*An calor febrilis cõcoquere possit.*

*Sect. 3. aph. 1.*



nem certiorem reddere testatur, adeò vt non amplius recidiua fiat, etsi quippiam in victus ratione delinquatur. Eadem ratione dixisse videtur Hippo. in Aphorismis, Conuultioni febrem non incõmodè superuenire: Quia scilicet crudos crassosque humores, qui spasmũ efficiunt, & à calore natiuo suam mediocritatẽ seruante nequeunt alterari, idem acrior euadens superat. Non enim aliud patitur calor natiuus à febre saltẽ mediocri, quã ꝙ medicamẽta crudos humores coquẽtia eidẽ inferunt: nẽpè caliditatis gradus augent, quò frigida materies vincatur.

*Aph. 25. lib. 2.*

Nec verò huic sententię repugnat, ꝙ iãdũ Schola medicorũ recipit, coctionem omnẽ à calore natiuo perfici. Nã febrilis quoq; natiuus est, perinde ac qui medicamentis vel exercitatione euasit acutior.

*Et naturalis caloris immodica quantitas, &c.* Natiui caloris substãtia nũquã superflua & immodica esse potest. Quin pro ei' copia maiore naturales fũctiones fiũt præstãtissimæ. Caliditatis verò exuperantia & vt (loquitur Galenus) πλεονάζουσα sępius lędit, eaque deprauat quæ caloris iusta mediocritate perficiuntur.

*Confert in iis animalibus, in quibus.* Color à corde influẽs, ꝙ natiu' etia dici solet, spiritus nomine plerũque significatur, ꝙ in materia prętenui cõsistat. Eiųs verò quãdam

Universidad de Deusto Biblioteca



*An caloris natiui seu spiritus, sit aliqua proprietas qua cõcoquat.*

dam esse proprietatem qua mira coquẽdi facultas in quibusdam animalibus exerceatur, iã olim creditũ fuit. Qua enim ratione fit vt fruges aridas & præduras, minutæ aues conficiant, lapillos Gallina subigant & mutent, Coturnices veratrum coquant, & Sturni cicutam, quæ nobis prorsus inuicta sunt, & indomita? Nũquid Struthiocamelus vehemẽtioris caloris opera cõcoquere ferrũ valet? Atqui Leo, qui struthiocamelo est calidior, id non effecerit, vt in proemio suorum problematum respondet Aphrodiseus. Vnde possis inferre, nõ vi & ardore caloris, sed tota substantia, ipsóue tẽperamento & certa proprietate ventriculi actionẽ perfici. An genus auium fœlicius coquẽdi facultatem exercet, quod cæteris animalibus longè carnosiorem ventriculũ magna ex parte sortiatur? Cùm enim eo nomine plurimum caloris contineat, solidiora quæq; superare potest. caloris verò plurimũ intelligi volo, in eo significatu, quo scripsit Hippocrates, Apho. 14. lib. 1. non caliditatis excellẽtiorẽ gradum. Porrò nullã esse caloris aut spiritus proprietatẽ, sed eius efficaciã certę cuidã mediocritati aut tẽperationi deberi, præter iã dicta illud satis probat, quod Gallinę ouis alienis, vt anserum & perdicũ incubantes, anserinos atq; ꝑdicinos pul

*Cur aues difficiliora quã cætera animalia conquoquant*



pullos excludãt. Nõnne, si aliqua esse debet caloris ꝓprietas, Gallina suæ tãtùm speciei ouis incubado, proficeret? Atqui sola eius mediocritas id præstat, quę facultates in ouo latitantes, & velut interceptas mouet, & excitat. Et quandiu corporis conformationi incũbunt, sua præsentia conseruat & fouet, ne à frigore extinguantur. Proinde non solùm speciei alteri⁹ auis, sed etiã furni, aut fimi tẽpẽs caliditas, pullos excludere creditur.

*Spiritũ in febricitãtibus esse parciorem.*

*Sed etiam magis ass. daus & abun. &c* Falsum est spiritum vitalem appellatũ, qui arteriis cõtinetur, in febricitãtibus abũdantiorem esse. Cùm enim is sit calori natiuo alumnus, atque pro eius quantitate adaucta perfectiores euadant naturæ actiones, per febrẽ quisque melius haberet quàm febris expers. Sed qua ratione pulsus maior euadere, ipsáque diastole amplior esse potest solito, cùm natura vacuum non admittat? Vnde sequi videtur vt plurimùm dilatatæ arteriæ plurimùm spiritus accipiant: Siue enim impleantur quia expanduntur, siue (quod sensit Erasistratus) ob id dilatentur, quia implentur, necesse est vt ad illarum extensionis proportionem materiæ copia sit. An febricitantibus, non minus quàm sanis, plenæ sunt arterię, licet spiritus vitalis copia minor existat? Quippe ab

vrente

vrente calore multus absumitur ac dissipatur. Cùm verò effervescens tenuis arteriarum sanguis, spiritus illius vehiculũ in vaporem & halitum, plurima sui portione dissoluatur, solito capaciorẽ locũ satis implet. Vnde patet Galenum aduersus Erasistratum minus rectè concludere cùm per febres spiritus & parcior & intemperatus euadat.

*Cũ liceat de hominibus in quibus vel &c.* Spiritus quidẽ proprietatem aliam à certa caloris mediocritate nõ agnoscim⁹. Spiritum verò, seu calorem à corde influentem (qualiscũq; tandẽ fuerit eius naturæ) in hominibus parùm aut nihil iuuare coctionem ventriculi, falsum esse docet quod per somnum accidit: nempe tardius ac difficilius coqui cibos dormientibus, vt experiẽtia cum ratione mõstrat.

POSTHIVS.

QVæ deinceps scribebantur, volui prætermittere, quia eadẽ habentur in Paradoxis nuperæditis: nempe Decadis primę parad. 8. ea inserta videas, vbi multò pigriorem ac infœlicioré esse ventriculi cõcoctionẽ dormientibus q̃ vigilantibus, firmissimis rationibus cõprobat D. Ioubert⁹.

*Nec id facit ex accidenti, &c.* Hoc negare posset Erasistratus, quod Galenus supponit. Ob id enim coctioni nocere calorem istum diceret, quia ventriculi robur ita



ita dissoluit, vt seipsum ritè comprimere ad ciborum attritionem minimè valeat. Qua ratione calefactio morbi causa tãtũ videretur, atq; per accidẽs (alterius, scilicet interuentu) noceret actioni. Morbus verò ex iis esset, qui ad instrumenta non ad similares partes, propriè pertinent.

*Vtique ex primorum morborum fit numero, &c.* Etsi morborum species enumerantibus statim occurrant intemperies, atque mala conformatio: hac tamen illa prior censetur, quòd iis partibus cõueniat, quæ & natura, & ratione priores sunt, nempe similares, & simpliciss imæ, ex quibus reliquę omnes fiunt. *Cur intemperies intermorbos prima recenseatur.*

*Nisi actio ex commoda nascatur tẽperie, &c.* Erasistratus nolebat ventriculi cõctionẽ exproba temperie nasci: sed ex debita cõpressione, quę attritionẽ faceret. Angustiorem verò, ac cõpressioré se reddere, ad figuram euidenter spectat.

*Iis qui assequi, quod consequẽs est valent, &c.* Scilicet Galenus existimat Erasistratum superioribus argumentis esse cõuictum vt fateatur, caloris exuperantiam esse proximam occasionem prauæ coctionis ventriculi: proinde mox subiungit. [Hoc verò nobis concesso, &c.] At Erasistratum habere quòd respondeat, paulò antè monuimus.

*In actione id quod melius est, &c.* De partibus

bus similaribus, vt tunicis ventriculi (quas elementa sensibilia vocant) propositio hæc interpretari debet. Instrumentalium enim actiones à commoda structura, quæ earum est integritas, perficiuntur: etsi in vtroquoq; organo pars similaris aliqua sit, cui præcipuè actiones attribui solent. cap. 6. lib. 1.

*Bilem abimmodico calore nasci, &c.* Fernelius doctè, & eleganter ostendit non omnem flauam bilem fieri ab immodico calore, cùm etiam à temperato, vel imbecillo prouenire possit. Ait verò, non omnem, vt excludat vitellinam, porraceã, æruginosam, cæruleam, & atram, quæ minimè naturales sunt, fiuntque perpetuò vrentis caloris opera. cap. 4. Physiol.

*Vtique hominis est, qui nec illud aduertat, &c.* Hac ratione maximè conuincitur, humores in cibis non prius extitisse, cùm nonnulli etiam ieiunis maiore copia gignãtur, vt bilis. Fit verò eius generatio dum corpore per inediam ficciore reddito calor adeò acris euasit, vt succos dulcio res adurat. Atque hi primò salsi, deinceps amari quoque fiunt, vt alio in loco scribit Galenus. Qui pluisculum sustinuere ieiunium (inquit) iis saliua salsa redditur: qui verò plurimùm non salsa modò, sed & amara. lib. 4. Sim. cap. 16.

*Os quidem amarum, &c.* Hæc & multò plura



plura symptomata recensẽt Hippoc. iis supereuenire, qui bis die cibum sumere consueti non prandent. Aph. 25. lib. 2. de rat. vict. acut.

*Quis namque ignorat eorum quæ immodice coquuntur, &c.* Coctio ista non minus à proprio, quàm alieno calore fieri potest, cùm temporis processu absumpta humidiore portione siccior euaserit. Tunc enim acrimoniam inducit, quam in melle per vetustatem mordaciore facto, & adipibus oleoque rancidis percipimus.

*Vtique in omnibus corporibus parimodo eam generaret, &c.* Non omnes quæ in alimento ad bilem aptæ sunt partes in omnibus æquè corporibus in bilem cõuertuntur, vt nec omnes quæ pituitæ gignẽdæ sunt destinatæ, semper in pituitam abeũt: sed varietatis plurimum effertur ex efficientis caloris vi, præter alimenti materiam, quarum iusta comparatio gignendi humoris speciem, modumque definit, vt recte docet Fernelius. Sic itaque pro Erasistrato aliquis respondeat: Et mel bilem contineat: non tamen omnibus ex illius vsu æqualis copia bilis prouenit: quod in aliis perfectius, in aliis minus exactè fiat biliosarum portionum secretio. Vide Gal. 4. Simp. cap. 17. Prius cita ta loco.

*At quod foris amarum gustantibus esset, &c.* Idem superi' scripsit his verbis: Quippe amarũ gustãtibus esset, si bile in se extra corp' cotineret &c. Ex quib' illud inferri vide-

Universidad de Deusto
Biblioteca



ri videtur : quæ amara sentiuntur, illa iam in se bilẽ habere quod est falsum. Nã bilis humor est animalium sanguineorũ proprius, vnumque ex proximis elementis, vt ex Hipp. sententia docet Galenus. *Lib. 2. de elementis.* Verùm quidem illud est, si quid bilem cõtineret, amarum necessariò deprehenderetur: non contrà bilem habere, quicquid amarum sentitur : cùm hic sapor in plantis, & plerisque inanimatis ex terrenæ substantiæ assatione proueniat.

*Atqui non mel modo: sed etiam cætera dulcia, &c.* Hic commodè problema illud exagitandum occurrit: Nunquid dulcia vermes gignant, cùm in bilem mutari dicantur. Bilis siquidem vermibus est inimica, vt cætera quæque amara. His etiam & occidi eos, & fugari, curatio docet. *Cap. 56. lib. 4.* Vnde Paulus rectè admonet, biliosa excrementa non posse cum lumbricis eadem parte consistere. Pituitosa verò, cruda & crassa putredini maximè accommoda, propriam esse lumbricorum materiam. Potissimum verò gignuntur ex corruptis cibis, autore Galeno. Vnde *Comment. in Aph. 26. lib. 3.* infantes, & pueri ex vermibus frequentissimè laborãt ob cruditatẽ, quam parit voracitas. Quia verò dulcib⁹ maximè vescuntur, & apprimè delectantur, vt lacte, & saccharatis, imperitum vulgus in dulcia culpam reiicere solet : quæ si belle

*Nunquid dulcia vermes gignant.*



si bellè conficerentur, nec præ ingluuie, ac præpostero assumendorum ordine, in tempestiuisque exercitiis in ventriculo, & intestinis magna ex parte corrumperẽ tur : in probum sanguinem degenerare nata sunt, non in pituitam, quibus tepidior est calor, vt pueris. Alias se in bilem vertunt, si in calorem acriorem incidant. Pituita verò fit excrementitia, & inutilis ex quacunque materia incocta manente. Vermibus igitur materiam non prębent ex sese dulcia: sed ii tum demum gigni possunt, cùm qualescumque cibi corrupti fuerint. Quid? quòd ex temperato dulcium vsu vermium generatio vtcunque præoccupari potest, cùm detergendi vi, qua sunt prædita, hærentem intestinis pituitam (proximam vermium materiam) abradere, & deiicere valeant. Attamen cùm ad dulcia maximè moueantur vermes, vt qui talibus gaudeant, & alliciantur geniti iam, dulcibus assumptis magis lasciuiunt, atque lacessunt: alioqui solent immoti, & intestinis firmi⁹ hærentes nullum facessere negotium. Proinde, si nocent dulcia ex lumbricis laborantibus, id faciunt quòd eos excitẽt, non gignant. Quo etiam nomine amara damnari deberent: quia irritando magis sæuire faciũt: nisi prorsus excludere vermes possint : Aliud problema ex superdictis

Universidad de Deusto Biblioteca



*Nunquid dulcia obstruant.*

dictis facilè discutietur: Nunquid dulcia obstructiones faciant, vt vulgò creditum est. Atqui, si naturam suam seruent, incidendi, attenuandi, ac detergendi vim habebunt, tantùm abest, vt obstruant. Si verò in bilem conuertātur, eò magis prædictas facultates exercebunt. Quantò scilicet amara dulcibus in attenuando & abstergendo valentiora sunt, vt docet Galenus. Quòd verò mustum obstructionib. obnoxiis interdicitur, id nō dulcedinis, sed crassitiei suspitione fit: cùm enim defœcatum non fit, angustiores meatus opplere, & infarcire solet.

*Lib. 5. de Simp. m. f.*

## IN CAPVT IX.

*Argumentum.*

Vmorū generationis causam de priscorum sentētia paucis cōplecti volens, cuiusq; actionis principia ex quatuor primis qualitatib. pendere admonet: vt quæuis functiones temperamēto acceptę referantur. 2 Causarum verò eiusmodi cognitio ad medicum omninò pertinet, contrà quā censebant Erasistratii, cū his ignoratis, nec prospera valetudo conseruari, nec aduersa oppugnari queat. Dicere namque imbecillitatem actiones deprauare, non sufficit: quinimò sciendum, quæ



quænam imbecillitatis sit occasio, quod vel morbi essentia satis docet. 3 Post hæc humorum diuersitatē ac generationis modum ab Erasistrato perperā omissum inquirens, ex his quendam esse calidum, & humidū, ac sanguinem appellari docet: alterum verò bilem, quæ calida, & sicca est potestate. Quo loco monet obiter, aliud esse ex apparentia, aliud virib⁹, seu potestate, vt probat exemplis. Terti⁹ humor est frigidus, humidusq; ab omnibus phlegma vocatum, præterquā à Prodico, qui βλέναν dicere malebat. 4 Deinceps quartū inuestigat, cui frigiditas, & siccitas prædominentur, qualis est melācholicus humor, autumno, & ætate consistente abundare solitus. Ad huius verò superflui expurgationem factum esse lienem, tum veterum authoritate, tum euentu, ac experientia certissimæ aduersus Erasistratum clarè ostendit. 5 Cū verò liene malè affecto sanguis exactè purgari nequeat, indeque morbi fiant, manifestè apparet ad sanandos morbos, eiusmodi contemplationem maximè pertinere. 6 Postea mixti exemplo docet, in sanguine alterum excrementum esse tenuius, alterum crassius, quæ dum suam seruant naturam, corporibus vsum aliquem præbere solent. A natura verò alienata, in varias species

Universidad de Deusto Biblioteca



conuertuntur, longè deteriores, quę non nisi officere possunt. 7 Secundum naturam verò est sanguinis pars crassior, & terrena quæ à naturali calore non potest superari: & tenuissima, dulcissimaq; portio, quæ leui assatione in flauam bilē degenerat. Hanc fellis vesicula, illam splen attrahere solet. Eoque potissimùm differunt naturales humores ab iis, qui præter naturam sunt, vt bilis variæ species, & omnia seri genera: quòd hæc prorsus inutilia reiici oporteat, illis verò (quia vsum aliquem naturæ conferunt) vasa dicata sunt, quibus excipiantur. 8 Ex his tamen inferre nō licet, dulcem pituitam esse inutilem, quòd peculiari vase destituatur. Nam eius conueniens locus venæ sunt, in quibus assiduè alterata probus fit sanguis. Excrementitia verò est, quæ à cerebro distillat, cui educendæ natura meatus præparauit, vt etiam ventriculi, & intestinorum pituitæ abstergēdæ prouidit. Sunt autem minimè naturales, acida ex cruditate, & salsa ex putredine. 9 Postremò Galenus ad ea euoluenda, quę veteres de humoribus absolutè scripserunt, lectores hortatur: præsertim verò Hippocratis, qui quę ab aliis deinceps fusius explicata sunt, primus summatim certis demonstrationibus edocuit. Eos verò maximè reprehendit, qui nec aliorum



rum benè dicta recipere, aut interpretari volunt, nec quæ fortè omissa sunt, aut non satis explicata, supplent.

*Porrò demonstrationes, &c.* Scientifica demonstratio ex principiis, ac per se notis propositionibus constat. Syllogismus verò Dialecticus vocatus, ex iis de quibus inter omnes conuenit, aut plures, vel doctiores. Atqui primas qualitates esse omnium functionū causas, neque per se notum est, neq; ab omnib. conceditur, quū Erasistratii contradicant: sed à doctioribus tantùm recipitur. Nō igitur erit hoc principium demonstrationis scientificę, vt putat Galenus.

*Siue aliam particulam vllam fungi quacunque actione, &c.* Omnis actio à temperie non perficitur, sed naturalis tantùm, de qua hîc mentio est. Si enim temperamentum omnibus sufficeret, nulla commodæ structuræ ratio esset habenda, quæ instrumentalium partium sanitas, & perfectio est, vt εὐκρασία rudium, & inorganicarum. Neque verò hæc est naturalium facultatum origo, sed qualitas duntaxat, quæ idoneas efficit partes, quibus eiusmodi vires exerceantur, vt iam plures monuimus.

*Omnem actionem à tēperamento non pendere.*

*Vide anno. in cap. 3. lib. 1.*

*Vt quæ supra medicum sint, atque ad philosophum naturalem spectant, &c.* Erasistratiorū opinio hac in re cum Methodicis conue-

Universidad de Deusto Biblioteca



niebat, qui nullius causæ notitiam ad curationes quicquam pertinere volebant, satisq́; esse quędam communia morborũ intueri, vt refert Celsus.

*In Proemio libr. 1.*

*Actionis causam in singulis instrumentis, &c.*

Id quomodo sit distinguendum, ac explicandum, paulò antè monuimus.

*Pyrrhon quis fuerit*

*Sed hæsitatores, ac quidam subito Pyrronæi, &c.* Pyrrhon (vt refert Gale. lib. de Subfiguratione Empyr.) vir fuit minimè superbus aut ambitiosus, neque gloriæ inhians, non compositè ambulans, neq; fucatis gestibus, sed interius exteriusq́; totus integer: humanus admodum, pacatissimoq́; animo sibi constans, nihil interim loquens, nisi vbi occasio postularet. Hic desperata veritatis inuentione, quãdiu frustra quæsiuerat, in singulis hæsitabat, neque amplius agẽdorum rationem quærebat, sed euidentia sectabatur. Sunt qui referant, Pyrrhonem hunc ad nonagesimum vsque annum pictorem extitisse, postea in scholam Anaxarchi venisse, & cum nulli sensui de obiectis vellet fidẽ adhibere, hanc sectam instituisse, quæ de omnibus dubitaret, & quæreret: cumque in veri inquisitione semper versaretur, nil vnquam inueniret. Vnde Sceptici, id est quæsitoris, vel inuestigatoris nuncupatio. Anaxagoras eandem opinionem sustinuisse videtur, quantum licet collige re



re ex Aristotele: Pyrrhoniis Academicos fuisse per quam similes, idem Gal. initio præfati libri demonstrat.

*Lib. 1. Physi. cap. 4 De subfig. empirica.*

*Si corporis cuiusque, &c.* Legendum est. Si morbi cuiusq́;. Nã codex Græcus habet, ἑκάστου τῶν νοσημάτων. Porrò rectam inuentionã remediorũ suggeri ex morbi natura, & essentia perfectè cognita, Galenus abundè explicat.

*Lib. 3. Methodi.*

*Circa cibũ contrahi, eumque terere non valet &c.* Vẽtriculus cõtinendi facultate, & obliquarũ fibrarũ ministerio, cibos amplectitur, cõtinetq́; omni ex parte adeò cõpressè, vt his circũiici, & prorsus adhærescere videatur. Nil enim relinquit inane, si quidẽ cõuenienter, & secundũ naturã se habeat. Alioqui cib' huc, atq; illuc fluitat, & laterib. vẽtriculi non coarctatus, neq; citò, neq; absolutè cõcoquitur. In hoc q̃dẽ nos cũ Erasistrato cõuenimus. Differimus autẽ, ꝙ ille putet cibos ea ratione atteri; nos verò quadã elixationis specie coqui, & eò quidẽ facilius alterari, quò pluribus tanguntur partibus. Omnis quippe talis actio contactu persici solet

*Ego nanque eũ qui supra modum calefactus est &c.* Videtur Galenus his verbis causam imbecillæ comprehensionis ciborum ad quascunque intemperies referre: cùm tamen nihil aliud velit, quàm in vniuersum imbecillitatis causam esse

Universidad de Deusto Biblioteca



aliquam intemperiem. Et fluctuationis quidem, vel flatus (quæ sunt præcipua impeditæ aut debilis contentricis symptomata) causæ referuntur ad imbecillum calorem, nimiamúe humiditatē. Vnde colligas ab aliis (vt intensiore calore, ac siccitate) iuuari potius: quod vel Gal. manifestè docet, vbi explicat, quasdam facultates à certis qualitatum primarū excessibus iuuari.

*Cap. 2. lib. 3. diff. sym.*

*Cap. 10. eiusdem lib.*

*Quòd affectus in corpore, qui non ex accidenti, &c.* Argenterius de morborum generib⁹ hanc morbi definitionem à Galeno traditam cùm aliis nominibus improbat, tū quòd actiones proximè, & immediatè à morbo non lædantur, sed facultates, quæ actiones præcedunt. Cui argumento plerique satisfacere se putant, cùm respondent, Galenum per actionem potius, quàm facultatem morbū definiisse, quòd illa sit magis nota, sensibusq́; maiore ex parte subiiciatur: facultas verò nos (qui sensuales iudices nuncupamur) latet. Quæ si vera sunt, ad medicos non pertinet de facultatibus naturalib⁹ tractatio, & ad earum contemplationem temerè nos Galenus tam sæpe remittit. Adde, quòd opera (vt quæ nobis sunt notiora) potius, quàm actiones, iis natura priores, in morbi definitione vsurpari debebant, si tātùm quod à nobis facilius percipitur,

*Morbi diffinitio cur facultatis potius quā actionis nō meminit.*



cipitur, rei naturam melius explicat. Rectiùs forsitan respondeas, facultatem benè omissam fuisse, quòd ipsa nec deprauari, nec minui, imò neque destrui possit, quum animæ proprietas quędam habeatur, non ex corporis temperamento proueniat, vt suprà annotauimus. Cùm ergo inuiolatis planè facultatibus, actiones quouis modo lædantur: non iniuria morbum actioni immediatè nocere asserim⁹. Sic artifex quiuis instrumentorum vitio in actionibus variè aberrat, cùm tamen habitus, ac facultates quas in mente habet nullam mutationem patiantur.

*In cap. 3. lib. 1.*

*Qui, quotque sunt, &c.* Legendum, qui, quot, & quales sunt. Est enim in Græco, τίνα τέ ἐστι, καὶ πόσα, καὶ ποῖα.

*Temperatum calorem, & qui modicè est humidus.* Idcircò pueritia multum sanguinis generat, qui & nutriendo, & ampliando corpori sufficiat. Habet enim plurimum calidi innati, cuius ratione potest strenuissimè alimenta assimilare: quò fit, vt pluribus egeat alimentis, alioqui corpus ipsum absumitur à caloris voracitate, vt monuit Hippocrates.

*Apho. 14. lib. 1.*

*Eadem de causa sanguinem ipsum calidum, & humidum, &c.* Effectus suæ causæ naturam redolent, ac referunt. Cùm itaque sanguis temperatè calidus, humidiorq́; sentiatur, licet coniicere hunc ab agenti simili

mili ortum fuisse. Verùm (dices) ab eodem calore fiunt sanguis, & bilis flaua, cũ in sanguinea massa hæc vnà gignantur. Atqui bilis calidior, sicciorque est. Non igitur benè infert Galenus ex natura sanguinis, quæ sit caloris eum giguentis conditio.

## IO. POSTHIVS LECTORIBVS, S.

IO pauca quædam ad huius libri finẽ dictata desiderantur. At verò dolendum magis est: quòd in proximè subsequẽtem librum annotationes, ad discipulorum manus nondum peruenerint. Harum verò loco, quæ idem D. Ioubertus in Gal. librum de differentia morborum: & alium de differentia symptomatum dictant; apponere, visum est operæpretiũ: in quibus & Fernelio, & Argenterio (philosophis, ac Medicis laudatissimis) nec nõ Galeno ipsi (dũ veritatem rerũ inquirit altius, & asserit) passim contradicens: inge-



ingenii sui acumen, dexteritatem & vigilantiam, quæ scientiarum omnium est parens, demonstrat plenissimè: id quod æquus, & nullo inuidiæ veneno perfusus lector facilè iudicabit. Ad me quòd attinet: equidem, vt ingenuè fatear, non video, quo ille scripto summam tum eruditionem, tum inuẽtionis solertiam magis explicarit: non in admirandis illis Paradoxis: non in Risus essentia, & causis describendis: quãquam & hæc planè sunt diuina. Atque vtinam, quod ille pollicetur, efficiãt propediem: nimirũ in omnes de Differentiis, & causis Morborum, & Symptomatũ libros annotationes. Quãtum enim & oblectationis, & fructus rei medicæ studiosi, atque etiam absolutę doctrinæ viri, ex iis percepturi sint: ipse vnà cũ omni condiscipulorum meorum numero, qui Ioubertum eos libros interpretãtem audiuimus, testari bona fide possum. Nã more suo, nihil præterit vel malè versum, vel aliàs deprauatum, quod non restituat: nihil occurrit ambigui, quod exactè non distinguat: nihil obscuri, quod ingenii sui lumine, & eloquentia non illustret: denique ita tractat omnia, vt nihil prorsus desiderari posse videatur. Atqui ab eius operis editione præceptorẽ aliud, credo, remorabitur nihil: quàm Francisci Valeriolæ, viri celeberrimi, in eosdem libros

bros Commentarius. Nam hominem, vt dignus est, amat, facitque plurimi, & velut alterum parentē colit, atq; obseruat. Solent autem pleriq; scriptores animo non satis ęquo ferre: si quis alius post eos eandem tractet materiam. Verùm hîc tibi, Iouberte, præceptor obseruādissime, succurrat velim: quanta sit Valeriolæ, â te ipso in prælectionibus tuis publicè tot ies celebrata, humanitas: & quàm sit humanum citra inuidiam cupere: vt ex cuiusque beneficio, ac labore aliis emolumenti aliquid accedat. Quinimò vbi hoc resciuerit Valeriola, qui illius erga te, & studiosos omnes est amor, vltrò (scio) te ad hortabitur, vt non alios modò, sed & teipsum in hoc certaminis genere pulcherrimo vincere sedulò contendas. Dū verò vos absolutum illud opus, vel thesaurum potius, auidissimè expectatis, cā didissimi lectores, horum interim fragmentorum vsu, fructuq; gaudete: meque (quam vnam à vobis laborum mercedem efflagito) fauore, ac beneuolentia vestra complectimini. Valete.

* * *

CLAR-



CLARISS. VIRO, D. SIGISMVNDO MELANCHthoni, Academiæ Heidelbergensis in Medicina professori publico, Io. POSTHIVS Germ. sequentes D. Iouberti in Gal. Annotationes dedicat.

*Quattuor Autūni iā præteriere Melanchthō:*
*(Tam celeri fugiunt tempora cara pede)*
*Ex quo fœlicem genium, Medicosque secutus*
*Italiæ, liqui te, patriosque lares.*
*Hei mihi, quot subii miserę discrimina vitę,*
*Interea, cœlum quam mihi triste fuit?*
*Testes Eridani, mea priua pericula, Nymphæ,*
*Littoraque illa mei conscia naufragii.*
*Testes alta tui mihi sunt Florentia colles,*
*Per quos præcipiti sum reuolutus equo.*
*Testis Sena potens, vbi de tribus vna sororum*
*Bis voluit vitæ rumpere fila meæ.*
*Testis Roma, mihi tantorum causa laborum:*
*Qui nocuēre quidem: sed meminisse iuuat.*
*Testes æquorei fluctus: vbi puppe citata*
*Vix rapidos fugi corde tremente Getas.*
*Denique Mompelium sęuis mea viscera flammis*
*Torreri nuper vidit, & ingemuit.*
*Per tamen hos ignes, per tanta pericula saluus*
*Auxilio euasi, maxime Christe, tuo.*

Opta-

Universidad de Deusto
Biblioteca



Optataque sedens Lauri viridantis in vmbra,
Disco salutifera quicquid in arte boni est.
Namque iubar Phœbi Laurum sic irrigat istam,
Proferat vt fructus tempus in omne nouos.
E quibus hoc raptim lectos tibi mitto: reuersus
Ipse domum plures, numine dante, feram.
Tu decus æternum Lauro, æternumque vigorem
Exopta, hoc cuius munere munus habes.
Et pro me Nierumq; patrem, Nymphasq; saluta,
Meque tibi solito dilige more, Vale.

Ex Monte Pessulano,
Mense Octobr. An.
D. LXVI.

# LAVR. IOVBERTI VALENTINI DELPHINATIS,

## IN GALENI LIBR. DE differentiis morborum Annotationes, dictatæ, Anno M. D. LXIIII.

### DICTATVM PRIMVM.

*Parti similari vnicum morbi genus incidere, quod explicauit Galenus, lib. de differentiis morb. cap. 4. contra Fernelium.*

QVVM omnem similaris partis sanitatem, in bona illius temperie cõstituat Galenus, omnes eiᵉ morbos ex læsa mutataq; temperie nasci, meritò concludit. Fernelius verò cõtrà, non vnicum, sed triplex morbi genus parti similari conuenire affirmat, idque tribus ferè argumentis, quorum primum

*Lib. 2. de abd. rer. causis cap. 9.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



ab ipsa partiũ constitutione sumitur, nitituráq; hac ratione: ꝙ præter temperamẽtum alia sint, quibus similarium sanitas & integritas conseruetur, in quorũ bona cõstitutione sanitatem, in mala morbũ collocare oporteat. Ea sunt subiecta materia, & forma seu species. Cuius propositionis veritas mox apparebit, si constitutionẽ ipsam distinguamus, ꝙ alia sit quæ propriè compositionẽ, Græcè σύνθεσιν, vocamus, vt cùm dicimus ex materia & forma aliquid constitui seu componi. Alia verò Græcis dicta κατασκευὴ, quasi apparatus quidam, vel apta conformatio præparatióve, qualem in instrumentis contemplamur præter materiam & formã, vt in gladio duritiem, aciem, & nitorem, quib' præditus optimè incidere possit. Eiusmodi est in similari parte ipsa temperies: in organica verò accidentalis forma, quam structuram appellant, in quibus profectò sanitas, siue ad agendum aptitudo, & habilitas, ritè collocatur. Sunt enim accidentia perinde ac sanitas & morbus, de quibus talis constitutio tanquam genus dicitur. Essentialis verò forma, vnà cum materia, non sanitatem, sed partium essentiam constituunt: hæc quidem ceu subiectum substratumque, illa verò, tanquã totius ἐντελέχεια & perfectio, à qua vires



vires omnes prodeunt. Eas autem in similaribus exercet, temperiem instrumẽti loco habens: in quo vel hoc nomine sanitatem & morbum statuimus: quod intendi & remitti val:at, vt his affectibus conuenit. Sanitatis enim & morbi amplam esse latitudinem, non semel Galenus docuit. Temperies verò & structura infinitis penè modis immutari queunt, præter id quod separabilia sunt accidentia, non minus quàm sanitas & morbus: & contrariorum expertia non sunt. Materia verò & forma, vt quæ substantię habeantur, nusquam citra subiecti corruptionem abesse, neque τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον: id est, magis & minus, suscipere queunt: imò nec iis quicquam vt cõtrarium aduersatur, sed ipsa tantùm primatio omnimodæ transmutationis author existit. Hinc tandem colligi posse existimo, non in essentiali partis cõstitutione, sed accidentali duntaxat (quæ apparatũ quendam ad exercendas formæ actiones significat) statui debere sanitatem. Id quod certius apparebit, si quas Fernelio iam opponemus, rationes accuratius examinentur. „ Si quæ sunt, ait, in parte similari præter temperamentum, „ quibus sanitas illius & integritas conseruetur, necesse fuerit in bona illorum „ cõstitutione sanitatem, in mala morbum, „

Universidad de Deusto
Biblioteca



„ collocare. Atqui duo insunt temperamé-
„ to præstantiora, subiecta materia, & spe-
„ cies, &c. Duo quidem præter temperiē
singulis partibus inesse, concedo, eaque
præstantiora, vt quæ substantię dicantur.
Quinetiam, si placet, ab iis integram &
absolutam reddi particulam, non tamen
illius sanitatem vel effici, vel conseruari,
admitto: quum partis alicuius materia
formaque inuiolatis & constantibus, e-
iusdem sanitas non solùm variè mutari, vt
per ætates accidit, sed etiam prorsus in-
tercidere possit. Integra verò seruatur,
vt sæpe monet Galenus, debito vsu assu-
mendorum, admouendorum, educendo-
rum, & faciendorum, quæ res non natu-
rales continēt, à materia & forma multū
differentes. Quòd si pereunte forma sa-
nitas quoque intereat, non inde sequitur
hanc ab illa effici, sed tantùm sanitatem
absque forma consistere non posse. Hæc
siquidē in conueniēti materia esse debet,
cui scilicet temperies certa insit, maioris
minorisque particeps, in qua similarium
sanitatem locamus. Eaque ratione acci-
dit, vt forma (ipsa quidem indiuisibilis)
aliàs cum sanitate minimè indiuidua, a-
liàs cum multiplici morbo subsistat. Dū
verò maximus est excessus, partis corru-
ptio sequitur, ipsaque forma perit cum
temperamento. Sed quibus argumen



tis Fernelius propositionem illam confir
met, audiamus. Exemplo medicamento-
rum aliàs à materia, aliàs à temperamen
to, aliàs à forma vires inesse partib. quas
similares appellant, satis constare putat.
Nos verò vtrumque, non suspectum mo-
dò, sed falsum habemus, quum omnes fa
cultates ab anima, seu forma (cuius illæ
veluti proprietates quædā sunt) veniant,
& temperamenti opera exerceantur: qui
bus materia substrata, omnis actionis ex
pers manet. Quum itaque plurimis va-
riæ, & sæpius contrariæ insint facultates,
à forma quidem omnes manant, sed di-
uersis temperamentis, quę in variis medi
camenti portionibus sunt, obeuntur.
Quamuis enim simplicia nobis dicantur,
à natura tamen crassiore quodam modo
composita esse constat, vel ex eo quòd ar
te separari queant: vt Rhabarbari tenuio
res calidioresq; partes à crassis & frigi-
dioribus sola maceratione distrahuntur. Il
larū verò tēperameti opera, totius medi
camēti forma aperiēdi vim agit: vt istarū
tēperie adstrictoriā exerceat. Nam quū v-
niuscuiusque quatenus vnum est, & vno
modo se gerit, vnicus sit motus, anima
quæ simplex est substantia, aliis aliisque
motib. variè efficiens opera, varias quo-
que in hæc temperies, tanquam instrumē
ta, accommodat. Quemadmodum vnus

idemque artifex variis instrumentis diuersa plærunque & dissimilia opera condit. Quod verò subiungit Fernelius, partes similares tria hæc discreta continere, materiã, temperamentum & essentiã, quę illarum species dici consueuit, concedo. Temperamentũ enim quũ ex elementorũ sit qualitatib. in accidentiũ genere meritò censetur. Reliqua duo substãtię sunt: & forma quidem totius perfectio statuitur, cui materia substrata manet. Ab hac verò partem aliquam euadere laxam aut astrictam, mollem aut duram, crassam aut tenuem, grauem aut leuem, nõ admitto, quum hæc à primis qualitatibus, nõ minus quã temperies ipsa pẽdeant, aut certæ qualitates à materia non erunt distinguendæ. Atqui vt temperamentum ex primis qualitatibus immediatè prouenit: sic etiam prædicta quæ ob id temperiem comitari dicuntur. Neque illius opinionem satis corroborat, quòd talia materiæ attribui soleant, cùm rarã densam, úe, & tenuem vel crassam, nuncupamus, quum eodem loquendi modo calida, frigida, humida, & sicca materia sæpe dicatur. Neque obstat quòd similes qualitates alioqui diuersas temperies plærunque comitentur, vt cerebrũ & os sint frigidiora, hoc tamen durum, illud molle. Sic glandulæ & pulmones laxi rariq; spectantur, sed hi calidiores, illę frigidiores sint. Quippe quum in singulis elementis duæ adsint diuersæ qualitates, pro vario elementorum excessu similes effectus nasci possunt. Sit enim aër frigidissimus & humidus, aqua humidissima & frigida, ignis calidissimus & siccus, terra siccissima & frigida. Ex aridioribus quæ dura ésse solent, quædam frigida ex terrę plurima portione, quædam ab igne calidiora sentientur. Quod in medicamentis facile est probare. Sic mollia non minus ab aëris q̃ aquæ prædominio fiunt: leuitas raritaſque & aëris & ignis excellentiam comitantur, quorum hic calidius alioqui tẽperamentum, ille frigidius efficit. Et grauitas aliàs cum mollitie, ex aquæ copia: alias cũ duritie, ex terra, vtraq; sub frigido temperamento deprehẽduntur. Hinc manifestè patet, quæ in primis qualitatibus ipsoque temperamento satis conueniunt, non parum cæteris differre posse. & contrà, in secundis qualitatibus admodum conuenire, quę diuersi omninò fuerint temperamẽti. Quòd verò de partis essentia atq; specie à materia & temperamento diuersis, ex Aristotele proponit, iam antea concessimus, tria illa esse natura distincta professi. Id autem non agnoscimus quod Galeno imponit, dũ ait,

Universidad de Deusto
Biblioteca



in vnaquaque parte ſimilari tres haberi ſubſtantias,ſolidã,carnoſam & ſpirituoſam,ex quibus virium ſubſtantia comple atur,eum ſignificare tria prędicta quibus ſimilaris pars compleri dicitur. Quin po tius innuit, partem quãlibet in tres portiones diſtribui poſſe,quas omnes à prima conformatione inſitas habet. Earum prima ſtatuitur craſſamentum reliquarũ veluti baſis & firmamentum, cui ſecunda innititur,humidior(inquam)portio,quã ex ſimilitudine quadam appellat carnoſam.Eſt autem propriè humidum primigenium ſeu radicale.Hæc tertiam continet inuolutam,calorem natiuum videlicet,qui etiam ſpiritus implantatus nuncupatur.Porrò tres iſtæ portiones ſimilibus conſeruari debent,vt diu ſuperſtites integræque maneant.Spiritus quidem & calor infixus ab alio influente,necnon arteriarum euentilante motu. Humiditas verò natiua, alimentorum portionibus magis humectantibus, vt ſolidæ partes craſsioribus reficiuntur. Quòd verò ait Galenus, robur facultatum in his tribus conſiſtere,nil aliud denotat,quàm facultates in his partibus fœliciter exerceri, quæ triplicem illam conſtitutionem habuerint conuenientiſsimam. Proinde in iis quoque temperamentum conſiderari debet,quòd ſit facultatum inſtrumentũ, &



& partium omniũ quędam aptitudo,qua ſine manent ipſæ inutiles. Atque hæc noſtra interpretatio ad Galeni mentem omninò,veriſsima eſt.Quam verò reddit Fernelius,non modò non ad illius ſentẽtiam accędit,ſed neque ſuam ipſius ſatis explicat: quum in tribus illis ſubſtantiis à Galeno propoſitis nihil quod forma dici poſsit,deprehendat,ſed omnia ſint materiæ,vel totius compoſiti.Non enim ſufficit ſpirituoſam ad formam referri ac pertinere, quinimò ipſam formã eſſe oportet.Melius profectò(quamuis nondũ ſatis accuratè,meo iudicio) eam triplicẽ ſubſtantiã diſtinguit ipſe Fernelius phyſiol.lib.4.cap.5. Ex his patere arbitror, Galenum in citata ſententia minimè denotaſſe, partes ſimilares conſtare materia,forma,& temperamento:multoq; minus in tribus iis ſanitatem cõſtituere:ſed (quod ſexcenties pronuntiauit) in vnica temperie, quæ quia recta ſubſiſtere nequit,in ſubiecta moles ſuis conſtet partibus, idcircò triplicem eam ſubſtantiam ſtudioſè conſeruandam admonet. Igitur ſi quæ hactenus Fernelio reſpondimus,ſatis firma ſunt,is tandem malè concludit,tria eſſe in parte ſimilari morborum genera. Quippe, vt initio docuimus, non quicquid partem componere, vel cõſtituere dicitur,eſt ſanitatis & morbi

bi subiectum, sed κατασκευὴν seu præparatio, quæ accidens est non substantia. Eamque proculdubio significauit Galen. capite secũdo. de diff. mor. vbi docuit, sanitatem non in actione, sed potentia locari debere: hoc est, in habilitate quadã & aptitudine partiũ. Alia verò est partis essentia, quam ex materia & forma perfici constat. His pereuntibus res tota perit & corrumpitur, vti etiã temperamento prorsus immutato, quoniam forma in subiecto minus apto consistere nequit. Ast illæ non possunt ad instar temperamenti nunc intentionem, nunc remissionem suscipere, quò fit vt neque earum ratione pars benè aut malè se habere dicatur. Quamobrem non trium istorum, sed temperamenti solius integritas, sanitatis nuncupationem meretur.

11. Quod ex partis similaris constitutione satis sibi probasse videtur, idem alio medio confirmare studet Fernelius, ex actione videlicet, quæ non modò constitutionis proximus est effectus, sed etiam à plærisque omnibus (Argenterio tamen excepto) in morbi definitione assumitur. Verùm quod de robore facultatum, à quibus actiones manant, paulò antè explicuimus, huic argumento satisfacere potest. Cui addo, sanitatem non in eo quod est primaria actionum causa statui



statui debere (alioqui animæ propria erit) sed instrumento quo actiones perficiuntur. Id verò in similaribus est temperamentum, quod proinde maximi momenti censetur, vt cuius ope destituta forma iners prorsus & ociosa maneat. Multùm verò deprauato, quia formæ sustinendæ inepta est materia, vt diximus, compositum ipsum corrumpitur, peritque omnis actio. Quòd si minus lædatur, & à natura sua discedat, fiunt morbi, & pars ad opus longè deterior infirmiorque euadit. Cęterùm à tribus illis actionum robur manare, inductione quadam illustrare instituit Fernelius. in qua quod de temperamento excommuni omniũ sententia docet, vnicum recipio. Reliqua enim ex causæ ignorantia malè concludunt. Quippe materiam accusat in iis quorum ventriculus nihil acre aut mordax tolerat: & qui odores citra offensionem ferre non possunt. Quæ omnia partium temperiem haud dubiè sequuntur: cuius ratione accidit, vt sensus in aliis exquisitior, in aliis obtusior exerceatur. Nam vt in siccioribus durioribusque corporib. stupiditas sensũsve defect' apparet: sic quædam exuperantia in iis qui sunt molliores deprehenditur. Sensus enim patiẽdo fit: mollities verò, q̃ humiditatis largior copia inducit, min' resistere pôt. Eodem planè

Universidad de Deusto Biblioteca



planè modo in rationalis animæ facultatibus, mirãda memoria, & insignis apprehensio, acriúsque iudicium, ex certa cerebri intemperie veniunt, quum εὔκρατος vt in omnium medio consistit, nõ modò corporeas omnes actiones, sed animæ quoque inorganicas vocatas facultates, ex ęquo bene exerceat: nec de eo quicquam excellens dicitur, nisi quòd sit prudentissimus, vt Galenus docet libris de temperam. Nec verò bona est Fernelii consecutio: Multi intemperati nihil eiusmodi experiuntur aut sentiunt: ergo intemperies id non efficit. Nouimus siquidem non quamcunque intemperiem talia comitari symptomata, sed certam & peculiarẽ: vt calculi generationem ex renum intemperie, non quauis, sed calidiore, fieri dicimus. Quòd si eius intemperaturæ quæ sensus acutioris causa statuitur, modum explicare nesciamus, non inde sequitur affectum non esse ex intemperie. Quis enim ad vnguem deprehendat elementorum proportionem, ex qua tã multiplex in partibus accidit varietas? Iam si raritatem laxitatemque partium eiusmodi effectum causas esse fateamur, non minus ad primas qualitates, vel ipsam intemperiem pertinebunt, quum (vt præmonuimus) talia ex illis pendeãt. Horum verò plurima ex prima conformatione, ipsoq; semine



semine haberi possunt, molliore. s. ac imbecillo, aut calidiore. Vnde fieri putamus, quod molles à mollibus & delicatis, robusti verò à sui similib. nascantur. Idem nonnunquam præstat vsus & exercitium: quippe multo grauiq; labore indurata corpora longè robustiora euadunt: otio verò humidiora mollioraque, & magis delicata fiunt. Quæ omnia quis non videt ad temperiem omnino referri? Deinceps Galeni superius explicatã sententiam repetit, vt vel ex illius authoritate confirmet, partis materiam non parum ad virium robur pertinere. Sed nos huic antea satisfecimus. Neque obstat quod subdit Fernelius, partium quarundam robur seruari astringentibus medicamentis: à laxantibus verò plurimũ dissolui. Quippe vt excessus in primis qualitatibus per ea quæ in iisdem excellunt corriguntur: sic quæ in secundis peccant, à contrariis eiusdem generis emendari debent. Omnia verò hæc temperiem sequũtur aut comitantur. An potius dicẽdum adstringentia robur addere qua ratione intemperiei medentur? Nempe dũ præ humiditate laxiorem mollioremque partem exiccant. Humor enim superfluꝰ, est qui laxiorem partem efficit: hoc absumpto, illa magis contrahitur. Sic & duræ frictiones artus corroborant, dum excre-

*Vide Gal. in fine lib. de opt. sect. ad Thra. vbi eos irridet, qui astringentia corroborare prædicant.*

excrementa quæ particularũ intermedia
ſpatia occupant, vel ſubſtantiã ipſam im-
bibunt, diſcutiuntur: vnde & compactio-
res & firmiores euadunt. Quoties verò
Galenus materiæ vitium accuſat, nihil a-
liud ſignificare videtur quàm ipſum tem
peramẽtum, vel quod ad temperiem ſe-
quitur. Quæ enim materia in ſuis qualita
tib. peccat, vitioſa dici ſolet. Poſtremò ab
ipſa forma actionis robur pẽdere, ſuadet
Fernelius. Nos verò actionem illi primò
præcipucque deberi concedimus, quum
facultates in ſe habeat vnde actiones ma
nant. Illę ab ipſa forma inſeparabiles, ne-
que imbecillitatẽ, neque robur maius ſen
tiunt: ſed talia de earundem actionib. cũ
exercentur, propriè dici ſolent. Dum e-
nim ventriculi facultatem imbecillã cau
ſamur, nil aliud quã vitio inſtrumenti nõ
perfectè exercer i ſignificamus. Siquidem
vbi valet organum, neque ſtructura com
modior, neque temperies deſideratur, ac-
tiones perficiuntur omniũ difficillimæ.
Hac ratione Struthiocamelus ferrũ con-
coquit & exterit ex certa ventriculi con-
ſtructione, nec non temperamenti præ-
ſtãtia, & inſiti caloris vbertate, qui in car
noſo ventriculo plurimus continetur: vt
explicatũ nobis eſt annot. 22. in. cap. 8. li.
2. de facult. nat. Porrò alia ratio eſſe vi-
detur motus & ſenſus, quæ animalium fa
cultа-



cultatum actiones ſunt, alia nutritionis.
Hæc ſi quidem à partibus ſimilarib. per-
fici ſolet, nec aliud quã inſtrumentum
mentum requirit. Illæ verò facultatis ſu-
perioris functiones, organis certa ratio-
ne cõſtructis egẽt, præſertim motio, quæ
à muſculis obitur. Nam etſi optimè ſe ha
beat neruus, ipſe tamen ex ſeſe motum
non exercet. Quin neque ſenſus agũtur
ſine inſtrumentis, in quibus tamen vnã a-
liqua eſt pars ſimilaris, à qua præcipuè fit
actio, vt abundè docuit Gale. lib. 1. 4. 8. &
10. de vſu part. lib. de diff. morb. cap. 6. li-
bro 2. meth. med. cap. 2. & alibi paſſim.
Quod quũ in aliis ſenſib. ſit manifeſtiſſi-
mum, de tactu forſitan aliquis dubitabit.
Verùm huius ratio eſt eadẽ. Quippe ner
ui medullæ præcipua debetur actio: ex ea
verò, ſimul & duplici tunica tactus inſtru
mentũ perficitur. His ergo artificioſè ita
cõſtructis, vt ſimilarib. probè tẽperatis,
facultates omnes tũ naturales, tũ anima-
les exercẽtur, quas ſanè miror hîc Ferne
liũ cõfundere cũ ipſa ſpecie, totaq; ſub-
ſtãtia. Nã ſeu materiã ipſam partis ſubſtã
tiã appellet (q eiuſdẽ paginę initio facit)
ſeu ſpeciẽ & formã, de qua hoc loco pecu
liariter agit, conſtat facultatẽ ab eſſentia
rem eſſe lõgè diuerſam, vt quæ inter acci
dentia reponatur. Aliud vero eſt faculta
tum ſubſtãtia. quã Galenus anxiè quærit:
ſcilicet

scilicet ipsius formæ à qua facultates manant essentia. Hęc siquidem substantia est cui facultates insident. Atque eius corruptela nō est, vt tandem Fernelius, infert, morbus aliquis, sed omnino mors & interitus.

Supereſt quam ex Galeno affert supradictorum confirmationem. Locus est libro. 2. ad Glauc. cap. 3. ex quo Fernelius tres imbecillitatis causas, triaque proinde morborum genera, colligit. Cui nos, si authoritate certandum esset, eum locū opponeremus, qui habetur in fine cap. 5. lib. de differentiis morb. vbi Galenus omnem imbecillitatem vel ob meatuum ametriam, vel ob intemperiem, necessariò euenire, apertè pronuntiat. Verùm præstat ratione contendere, atque Galeni citatam sententiam ex eius mente interpretari. Ipsius morbi remedium, inquit, plerūque offendit vires, aliud cum immodicè relaxando robur, partisque virtutem soluit: aliud immodicè refrigerando, insitum calorem extinguit. Iam verò & alienæ quædam qualitates vires dissipare possunt. Quibus sanè verbis nihil aliud denotat quàm variis modis ineptū ad actiones reddi instrumentum, qui omnes ad intemperiem facilè reducuntur, aut illam comitari solent. Nam quod de relaxātibus ait, ad primas qualitates sequitur,



sequitur quemadmodū & temperamentum: neque ad materiam magis quàm istud pertinet. Alienæ verò qualitates sunt meo iudicio, quas Deleterias vocāt, eęque duplices, nempe insignes primarū qualitatum excessus manifesti, & qui nos latent, totum ipsum temperamētum sequētes. Hæc verò omnia partis robur dissoluunt, quia dissipant & resoluūt, aut extinguunt & suffocāt insitum calorem, facultatum præcipuum instrumentum, quod vnà cum laudabili temperamento actiones exercere solet. Vnde patet, ea omnia ex æquo facultatibus obesse, qua ratione instrumenta faciunt ad actiones inepta: neq; id min' ex accidēti præstare qualitates extraneas, quàm cęteras. Facultatū verò substantiam demoliri ea nō dicūtur, quæ nihil aliud quàm instrumētum labefactant: (quandiu enim totius forma superstes fuerit, facultates etiam integræ & inuiolatæ manēt, quamuis nō exerceātur, vt abundè docuimus annot. in caput tertiū & quartū, & annot. quinta in cap. 6. lib. 1. de fac. nat.) sed quæ formā prorsus corrūpunt. Neque recipio quod subiungit Fernelius, materiam & temperamentum esse de primis facultatum instrumētis: quum ab ipsa materia nullæ actiones perficiantur.

Tertiū argumētum esse videtur, quod III.

subdit Fernel. ab effectis & rerũ euidentia, in quo illud primũ negamus, cruditatẽ ac læteriam esse vẽtriculi, vt pars similaris cõsideratur, affectum. Neque enim si ventriculus ob nimiã laxitatẽ nutrimẽtũ exactè cõplecti, & fœliciter cõcoquere nõ possit, id patitur vt similare corp⁹, sed vt χυλόπεως instrumentum. Si quidem multiformium ciborum complexus, & exacta circa eos cõtractio quæ villis perficitur, illi ob cauitatem quã habet, cõtigit. Proprium verò alimentum, nempe chyli portio tunicis apposita, nihil à laxitate vel cõstrictione offenditur. Alioqui pulmo (laxissima pars) omniũ pessimè nutriretur, vt Argenterius infert. Adde quòd laxitas ex immodico oleitatis hausu, nimiam humectationem sequitur, vt antè docuimus. Extraneæ autẽ & venenatæ qualitates, ex primis omnes veniunt: sed quænam sit earum proportio, à nobis nescitur, ob id occultæ vocari solent. His aduersantur quę occultam quoque proprietatem habere dicuntur, quòd non possit eorum alia ratio sta tui quàm temperamentum. Non enim solo calore vel frigore, aliisve qualitatibus primis, seu simplicibus, seu cõpositis, sed omnibus simul id præstant.

Deinceps morborũ simpliciũ differentias recẽsens, ab intẽperie seiungit insignem



gnẽ ossium mollitiem sibi aliquando visam in milite. quam quis ignorat fuisse ex intemperie valde humida, sine humoris affluxu, qualem proponit Galenus. cap. 5. li. de differentiis morborum? Mollities enim sub tepido calore, humiditatis certum est indicium, autore Gal. lib. 2. de temperam. cap. * Idem probat curatio facta per exiccantia balnea: quum certum sit, eam per contrarias qualitates perpetuò fieri. Ligamentorum quoque laxitas ex immodico humore pendet, vt quibus coxam facilè cauitate sua excidere narrat Hipp. aph. 59. lib. 6. Proinde iis mucorem vltione absumere, sequenti aphorismo consulit. De hydrargyri verò facultatibus quum omnibus eadem sententia non sit, non facilè iudicatur vnde neruorum dissolutionem inferat. Ego verò humidissimum censeo, eoque nomine tantam neruis mollitiem inferre, sudoresque mouere copiosissimos. Quod ad cutis, alteriúsve tunicæ, aut ventriculi etiam raritatem tenuitaremque attinet, vel contrariam densitatem crassitiemque: scire decet, ea talium partium, qua similares iudicantur, vitia non esse, quũ proprias actiones (quæ sũt nutritionis) minimè impediãt vt antea docuim⁹.

Adde quòd quæ per cutem fit excretio, cùm per ſudores, tum inſenſili trãſpiratione, cutis actio nõ eſt, ſed ſubiectarum partium, quæ ad tranſpirationẽ illâ vtũtur: nõ aliter quàm veſica vrinę colligẽdæ ac emittendæ inſtrumẽtũ eſt. Porrò tenuitas & craſſities, quæ ſunt quantitatis, ſi à prima cõformatione fuerint, materię copiã vel inopiã ſequũtur, ſin à partu acciderint, atrophiæ, vel vberioris nutrications effectus cẽſendi ſunt. At mollities duritieſque, raritas & dẽſitas, laxitas & adſtrictio, temperamentum omninõ ſequũtur. Neque ex eo rectè infertur, morbos quoſdã inſtrumẽtarios ad intẽperiem pertinere, confuſis ac perturbatis morborum ſummis generibus. Aliud quippe intemperiem, aliud malam conformationem eſſe conſtat, nempe effectus naturâ diſtinctos. Morbum verò ex morbo ſub inde naſci, quis nõ nouit? Sic citatis exceſſus aſperitatẽ, vt largior humiditas læuorem infert, qui inſtrumẽtorum morbi ſunt, ab intẽperie (ceu cauſa) pronati. Sic caliditas vaſorum oſcula nimis patefacit: cõtrà, frigus coarctat, qui effectus ad figuram ſpectant. Articulorũ laxitas vel conſtrictio nimia in deteriore ſitu morbi dicũtur quos plerũque ficcitas vel humiditas largior efficit. Quod verò



verò ex Galeno citat, vnicum temperamentum eſſe formatricem cauſam organorũ, à nobis fuſè explicatum fuit annot. 1. in cap. 5. lib. 1. fac. nat. Poſtremò ex curãdi ratione ſupradicta cõfirmare conatur Fernelius, ſed nihil magis quàm ante præſtat: ſufficitque ad ea reſponſum quod ex Galeno ipſemet facit, ſi dicas facultates quę ſecũdis aut tertiis qualitatib' agũt (ita enim propriè loquaris, quũ non ex qualitatibus ſint vires ſed tantùm exerceantur) ex primis omnino pẽdere, vt qualitates aliæ ex aliis proueniunt. Nec minus diſtincta erũt facultatum genera, quamuis ſecũdas ex primis, tertias verò & quartas ex primis & ſecũdis prodire fateamur. Nam quot actiones, totidem facultates ſubeſſe oportet. Sic verò diſpoſitę ſunt actiones, vt aliæ aliis ſuccedant: nempe ad calefactionem, meatuum apertio, ad hanc, ſudorum vel vrinæ ſecretio ſequitur. Sic ex ſiccitate cõſtrictio, & inde firmitas roburque accidit. Porro, ſiqua pars inde facta eſt imbecillior, quòd immodicè relaxata aut diſſoluta ſit, huic medicamentis ab effectu corroborãtibus vocatis, ſuccurritur. Talia verò ſunt frigidiora, quũ prę nimio ęſtu facta eſt laxitas. ſin à largiore humectatione, ſiccantia, quæ abſumpto humore ſuperfluo partem faciunt denſiorẽ,

Universidad de Deusto
Biblioteca



vt paulò ante monuimus. De saporibus quod ait,

(Hic quędam desunt.)

Deinceps totius substātię morbos persequi & sigillatim explicare sequēti cap. 5 proponit Fernel. Est verò nō admodum difficile illius argumentis satisfacere, ex iis quę antè respōdimus, si tamen satis firmæ rationes videātur. Primum verò si bipsi apertè contradicit, quū initio scribat, Quoties tota rei substantia immutatur, rem totā continuò perfringi: mox verò subiungat, eam mutatione esse morbum. Ast paulò pùst corruptionem statuit, aliam perfectam, aliam minimè cōsumatam: atque illam vocari interitum, hanc verò morbū. Quæ si vera sunt, omnis mutatio substantiæ nō erit aut generatio, aut corruptio, vt ipse ex physicis proponit. Aliquam enim substantię mutationem morborum dici admonet Fernelius. Mox corruptionis & putrefactionis discrimen elegāter docet: vnde probare nititur, morbos ex putredine natos ad formam pertinere. Eiusmodi sunt pestilentes febres, quas solas ex putredine ortum habere, recipio, putrentibus quidem humoribus, nōdum omnino putrefactis: nā cum his vita subsistere nequit. Est autē putredo intēperiei sensim conceptę quidam effectus, adeoque symptoma:

*Intēperies maxima ἀτρόως dissolvens*



ptoma quod aliorū quàm plurimorū modo morbum excitare potest: vt alia ratione symptomatis, alia causæ morbificæ, naturā sortiatur. Ipsa autē putredo morbus nō dicitur, quum sit de genere corruptionum. morbus verò inter corruptionem & integritatē medium, ceu quædam pręparatio, obtineat. Est enim si perseuēret ægritudo, via ad interitum. Porrò corrumpentium causarum,

*temperiē, nō inducit putredinem, sed quæ sensim.*

*Vide cap. 6. lib. secūdi meth. med.*

(Hic quædam desunt.)

---

## DICTATVM II.

*Explicatio eius loci, qui occurrit cap. 6. lib. de differentiis morb. Proinde totius instrumēti functio maximè ac præcipuè vitiabitur, vbi pars ipsa quæ functionis est causa ægrotauerit, &c.*

INstrumentum quoduis perficientes particulæ, aliàs vt similares sunt, aliàs vt ὄργανον constituunt, solent cōsiderari. Atque si earū simplicitas (cuius ratione dicuntur similares) spectetur, cuiusque sanitas & integritas in solo temperamento constitui debet. Siquidem benè temperatæ suas functiones, quas habent communes (eę sunt naturales vocatæ, ad nutritionē duntaxat pertinētes) rectè perficiūt. Intēperatę verò, aut nō satis aut nihil prorsus nutriuntur.

Universidad de Deusto
Biblioteca



triuntur. Et quicunque morbi ad eas, vt similares contemplantur, attinent, similarium morbi meritò vocitantur. Quum verò particulæ ipsæ tãquam organi partes sumũtur, alia ratione distingui solẽt: nimirum quòd aliæ præcipuæ sint, ad quas potissimũ totius organi actio pertinet: aliæ iis vsum præstẽt. Præcipuę sunt, in oculo humor crystallinus, in musculo, neruus, & in neruo medulla interior. quibus integris & minimè impeditis actiones instrumentorum perficiũtur. Singulas verò integras & perfectè sanas dicimus, quum temperatæ fuerint. & quatenus instrumenti partes sunt, conuenientem figuram, iustamque magnitudinem sortiuntur. Hæc siquidem ad similarium naturam, earumdemque nutritionẽ, minimè faciũt, sed ad organi structurã pertinent. Numerus verò & connexio hîc omittuntur, quòd pluribus simul cõuenientibus, non vni particulæ debeantur. Porrò, similaris partis quæ præcipua in quouis ἐγκράτῳ fuerit, morbus, si ex intemperie prouenit, aliquãdo toti instrumẽto, nõ minus quàm ipsi parti similari officit, vt tunicarũ ventriculi *intemperies

*Intemperies humoris crystallini ipsi tãtùm vt similari nõ officit, sed totiũ organo: quod patet ex cap. 2. lib. 1. de cau. sympt. Id verò fit quatenus figura ab intemperie mutatur, scilicet diaphanitas, quæ sub raritate contineri videtur, vt sub densitate oparitat. Ob id recte Galenus cap. 13. de morborum differentiis docet morbos similarium ex accidenti pertinere ad organa.

frigi



frigida: cuius occasione & χύλωσις malè succedit, & ipsæ tunicæ perperam nutriuntur. Eritque duplex tum morbi genus, aliud partis similaris, aliud totius organi: nimirum si quidem actio eius oblęditur. Nonnunquam instrumẽto nihil obesse videtur pręcipuę partis intẽperies, vt nerui caliditas siccitásque maior, à quibus motiones robustiores euadunt, (exemplo phrenitidis hoc probat Gal. cap. 3. lib. 3. de sympt. causis.) tãtùm abest vt labefactentur. At constructionis vitium, vt in deprauata figura, aut magnitudine aucta vel diminuta, ipsi parti similari nihil nocet, sed soli ἐγκράτῳ: vt raritas laxitásue tunicarum ventriculi, venarum, aut arteriarum: humoris crystallini parcitas, vel quãtitas nimia, & praua figuratio. Hæc enim pręcipuam instrumenti actionẽ viciant. proindéque organi ipsius morbi censentur: licet vnica (sed tamen præcipua) ex particulis id constituẽtibus, affectum pręter naturam sustineat. Quod si ex aliarum quæ vsum duntaxat præbẽt actione opus fuerit, qua affectuum natura discernatur & explicetur. Si enim exiguè est affectus, actioni totius instrumẽti non cere nó poterit, vt qui pręcipuã eius particulã occupat. Sin vehemẽtior plurimũque adauctus fuerit, functionẽ impediet

atque

*imò verò labefactẽtur, quum actio immodica sit vitium, vt in lib. de diff. symp. docemus.

atque vel ipsius organi morbus, aut saltē morbi causa cēsebitur. Morbus quidem, si precipuam partē nihil efficiat, immutētve, sed ei sit impedimento, vt suffusio atque πτερύγιον. Morbi verò causa potius dicetur, qui præcipuæ parti damnum inferet, vt humoris aquei diminutio, cuius ratione crystallinus quodāmodo arescit, eò quòd non satis liberaliter humore imbuatur, vt docebit Gal. cap. 2. lib. 2. de sympt. causis. Atque is est germanus Galeni verborū sensus, dum hoc loco ait: Affectus qui non per seipsos, sed quatenus primo actionis instrumento nocent, actionem impediunt, non morbus (ipsius partis organicæ, suple: nā partis cui insunt, morbos esse oportet) sed morborū causa dici. Quippe totius organi fūctio lædi tur, ea parte per cōsensum affecta, à qua præcipuè actio dependet. Quòd si alterius cuiusuis particulę tātus fuerit affect', vt totius organi fūctio impediatur, vel nihil eiusmodi affectionis sentiente parte præcipua, nō minus ad ipsum instrumētū morbus pertinebit: nā quum instrumenti peculiaris actio immediatè lędi tur, necessariò in organo morbus est. Morbi verò causa etiā dicetur, optici neruo obstructio, qua visorii spiritus in oculū delatio impeditur. Sic quę non satis alimēti ex officio trāsmittunt, vt ve nę angustiores factę, morborū causa dici merentur, vt cap. 8. docebit Galenus.

*Ista explicatio est secundum mentē Galeni. quippe annexa tione ab hac tertia, affirmo πτερύγιον esse tamē morbi causam*

Cæterùm, non est quòd quis obiiciat eiusdem sententiam ex cap. secundo. li. de loc. aff. in qua asserit, nullius partis actionē illius essentia manente illæsa, offendi posse: quū idem autor seipsum explicans cap. vlt. eiusdem lib. apertè pronuntiet, solis partibus quæ & sentiendi & mouendi vim habent, accidere vt ipsis interdum haudquaquam affectis nihilominus earū actio pereat: id quod naturalibus instrumētis, hoc est naturales tantùm facultates exercentibus, accidere non solet. Quippe naturales facultates quum aliundè mittantur, nonnunquam cessant agere, nulla in organo facta læsione. At naturales, quia temperiem cuiquę parti insitam requirunt, partium substātia illæsa ociari non videtur. Hac ratione puto meliùs solui prędictam obiectionem, quàm si cum interprætibus dixeris, nullius partis actionē illius essentia manente illæsa offendi posse, quomodo vel eæ quæ animales facultates exercēt, vt oculus, lædantur, quoties visio impeditur, etiam si crystallinus humor nihil afficiatur. Siquidē (aiunt) tota organica pars per eos affectus lædi tur, quanquam nō ea quę functionis opifex esse dicitur.



Explica

Universidad de Deusto
Biblioteca



## DICTATVM III.

*Explicatio eius loci, qui occurrit difficilis cap. 7. vbi ait Gal. Atque per omnes eiusmodi affectus in quibus corporũ ipsorum in tumorem sublatorũ meatus occludi constiparique contingit, &c.*

OBstruũtur nonnunquam meatus partis, quę eos habet, substãtia nihil prorsus affecta, vt cùm humores viscidi & crassi cauitatem occupãt. Tunc vnicus est morbus, ipsa obstructio, cuius causa censentur humores. Aliàs non solùm cauitates occupantur, sed & substantia partis malè habet, vt cùm inflammatione vel alio tumore premitur, qui obturatę cauitatis occasio est. Atque tunc distinguere decet, an peculiaris actio quępiam à partis substantia exerceatur, vt tunicis venarum, quę nõ modò cauitate sua cõtinẽt, ac transmittunt sanguinem, verumetiam alterant, & substantiæ proprietate conficiunt. Eiusdem generis esse putãtur intestina, quę non modò chyli transmittendi, sed & perficiendi vim habent. In his, quia actiones duplices labefactari possunt, duplex morb' simul ex eodẽ affectu suboriri videtur: nẽpe inflãmatio venę in fidens



fidens & αἱματώσιν & διάδοσιν lædit. Vtraq; verò est venarum peculiaris actio. Quòd si partis substãtia propriam actionẽ nullam efficiat, vt corp^a oesophagi, tracheæ arteriæ, vreterũ, meatuũ bilis ad intestina deferendæ, & similium, quæ duntaxat canalium munere fungũtur: quia tumor præter naturam eius instrumenti vnicam actionem interturbat, vnicus morbus dicetur, nẽpe obstructio quæ inde prouenit. Hæc enim sola, per se ac propriè instrumẽtorũ eiusmodi omnem actionem impedire potest. verum quidem est, ipsũ tumorem si seorsum consideretur, morbum esse in magnitudine: sed quãdo nullam instrumenti propriã actionẽ primò & immediatè labefactat. hîc causæ morbificæ tantùm nuncupationem meretur. Quum igitur quædã actionẽ suam solius cauitatis opera perficiãt, alia verò etiam toto corpore seu substãtia: vt quę nõ solùm transmittendi, sed & alterandi quæ transmittũt, munus habent: pro actionũ quæ lędũtur numero, morborũ numerus æstimari debet: vt quę vnicam functionẽ instrumẽto de quo agitur peculiarẽ exercent, vnicum morbum ab eodem affectu habere dicãtur. Ea verò propriã actionem suis corporibus non obeunt, quæ solo trãsmittẽdi munere fũgũtur. Quod enim facultates alias naturales, vt ad sui nutriti

Universidad de Deusto
Biblioteca



nutritionem, exerceant id partibus omnibus commune deprehendimus.

## DICTATVM IIII.

*Explicatio eius lòci, qui difficilis occurrit cap. 8. lib. de diff. morb. Nam earũ quæ abũdãt, aliæ iis quæ naturali sunt habitu adnumerãtur, &c. quædã verò toto genere præter naturã sunt, vt lũbrici, &c.*

QVum in numero partium simplicium, ex quibus instrumẽta fiũt, secundum morborũ genus cõstituatur, nihil eorum quæ toto genere prę ter naturã sunt, eò referri poterat: sed tã tùm quæ naturaliter sese habentibus materia, vel etiam forma prorsus cõueniũt, solo numero vitiosa, vt sextus digitus, tertius testiculus, dens aliis supernascẽs, atque similia. Calculus verò, lũbrici, verrucæ, & apostemata, cum cæteris à Galeno propositis, quum nec partes corporis dici possint, nec cum iis vel materia, vel forma conueniant (non enim tantùm superuacanea sunt, vt quę solo numero peccant, sed toto genere pręter naturã) nulla ratione in numero superfluo morbi statuuntur. Alioqui profectò quibus talia non insunt, vt benè sani, in particularum numero deficiunt, mutilatóque sunt corpore



pore. Neque verò est quòd quis respondeat, talia partib⁹ annumerari posse, ceu quædã superfluica & similitudinaria mẽbra: vt Auicennæ interpretes aliqui volunt. quia scilicet ex humore à natura in locum suæ generationis traducto fiant, eorúmque materia à naturali calore inspissatur & induratur, & ex eadẽ eiusdem coquentis opera sensim augmẽtationem accipiũt. Quæ si probãtur, pili & vngues corporis partes dici debebunt, quum illę conditiones his prorsus conueniant, & multò quidem excellentiores: præter id quòd vsum maximũ prębent, non functiones lædunt, vt antedicta. Quales igitur morbi erunt ex calculo, vermibus, cæterísque hoc loco recensitis? Non vnius quidem generis, sed diuersi affectus his nominibus significãtur. Pterygion enim morbi causa potius quàm morbus dici meretur, quũ ea ratione visionẽ impediat, qua* tunicę corneę ad iridẽ diaphanę luciditati sese oponit: quod obstructionis speciem quãdã habet. Id verò ad formationẽ vitiatã spectat, nõ minus quàm dum alicuius partis raritas, meatuúmve multitudo aut magnitudo labefactatur. Huius quippe generis morbi sunt ex neruorũ obstructione, qua animalis spiritus transfusio impeditur, s. laxitate (nusquã enim cauitatẽ manifestã habẽt ab infarctis

* *Hainsmoni obstructionibus propertione respondet Suffusio, in qua fulgoris vitrei meatus qui in adnata tunica est, obstruitur, vt propriũ visus instrumentũ amplius que at cũ externo totum oculũ ambiente aëre copulari. Hæc Gal. li. 7. de Plac. Hippo.*

ctis humorib⁹ occupata. Atq; vt crassi vi
scidiq; humores obstructionis causa sunt
ad quam statim sequitur materiæ alicui-
us transmissionis impedimẽtum: ita sa-
nè & πτερύγιου transparentiæ obsistẽs, spi-
ritus visorii cum rerũ speciebus mutuã
cõmunicationẽ intercipit. Ex Galeni ver
bis contra propriam illius sentẽtiã istud
confirmare licet, dum ait, πτερύγιον cùm
plurimũ interuenerit, pupillam obscu-
rare, & visum impedire. Si enim ob id vi-
sum impedit, quod pupillam obscuret,
obscuratio morbus est, ad quem visionis
noxa sequi videtur. In naribus verò ger-
minantem carnem, seu Polypus, seu Sar-
coma fuerit, (hęc enim paruo discrimine
Paulus distinguit, cap. 24. lib. 3.) ex mea-
tus nariũ coarctatione morbũ efficere,
vt de similitate paulò antè scripsit Gale-
nus, est manifestissimum. Eadem quoque
ratione calculi morborũ causæ sunt, re-
num, vesicæ aut vreterũ cauitates & me-
atus occupantes: non aliter quã pus san-
guinis grumus, carũcula, vel aliud quip-
piam præter naturam partis alicuius ca-
uitatem occupans. quæ omnia iure op-
timo ad secũdam morborum in formã-
tione speciem, reducimus. His accedunt
suffusio χαλάζωμα *(grandinẽ in oculo vo-
cant) & pus sub cornea cum cæteris om-
nibus quæ spatium aliis materiis dicatũ
iniustè

*Hæc omnia possunt referri ad obstructionẽ, quũ foramini pupillæ obducitur. Foramen enim ad meatũ & cauitatem refertur.*



iniustè vsurpant. Acrochordones verò,
melicerides, atheromata, steatomata, vi-
tiligines, lepras, & callos, quis ignorat ex
tumoribus præter naturã censeri, eosque
ad magnitudinis simulq; intemperiei vi-
tium referri debere? Quæ autẽ in absces-
sibus reperiuntur, non aliter quàm pus
ipsum & humores obstructionem facien
tes, de iis sunt quæ alienum spatium oc-
cupant, & morborum causæ dici meren-
tur, vel eo nomine quòd partes natura
continuas, aut saltem contiguas, pluri-
mum distare faciunt. Supersunt lumbri
ci & ascarides, quos antedictorum modo
causas morborum ex cauitatis alicuius
occupatione dicimus. Quòd si mordican
do potius (vt solent) noceant, sint ipsi v-
nitatis solutæ causa, quam dolor grauis
insequitur. Eiusmodi planè statuuntur sa
gittarum mucrones in corporibus reli-
cti, & infixi aculei, & spinæ deuoratæ, à
quibus partes assiduè magis lacerantur.
Verùm hoc differunt, quòd in nobis illa
gignatur causa, & corporea ob id vo
citetur: aliæ verò sint de pro-
catarticis: licet omnes
generis eiusdem
morbũ in-
ducãt.

* *
*

*Attamen lib. diff. sympt. ca. 4. vitiligi nem dicit esse sympto ma.*

Universidad de Deusto Biblioteca



## DICTATVM V.

*Explicatio morborum qui ad numerum, & ad magnitudinem referri debent. quæ est censura. Cap. 8. & 9. de differẽ. morb,*

IN quantitate vitiata duo morborum genera constituuntur, alterum ad discretam, alterũ ad cõtinuã pertinet. In discreta, quæ propriè Quantitas dicitur Galeno, & numerum sub se continet, duplex accidit morbi species. Aut enim iustò plures sunt partes instrumentum constituentes, aut pauciores. Atque si ex simplicioribus organis fuerit pars, vt digitus, in similaribus eam componentibus vitium consistet (quod tamen nihil earũ functiones, sed ipsius instrumenti, labefactabit) sin magis composita, vt man⁹, aut vniuersum crus, eadem ratione excessus ac defectus de componentibus partibus, quæ totius respectu simplices videri possunt, dicentur: eorũque occasione totius organi actiones lædentur. Atque hi sunt omnes morbi, quos ex numero vitiato recipimus. In altera verò quãtitatis specie quæ Continua vocatur (propriè μέγεθος & πηλικὸν) morbi fiunt, suprà naturæ modum auctis



auctis vel diminutis partibus instrumentum constituentibus. Vnde accidit vt ipsum quoque indecentem magnitudinem sortiatur. Istud porrò duplici modo accidere potest: nempe organo propriã figuram seruante, aut ea quoque vitiata. Et seruatur quidem, vbi quibus constat omnia ex æquo vel augentur vel minuuntur. Quod si in prima conformatione cõtingat, materiæ ei membro dicatæ copiã largiorem aut parciorem fuisse denotat. Sin post natiuitatem, id ex alimenti vbertate, vel ἀνοφία, prouenit. Figura autem simul vitiatur, quoties accidit partes componentes inęqualiter augeri vel minui: & quãdo instrumentũ aliquod dũtaxat mutilatur, nõ radicitus perit. Hoc enim morbum in numero facit: illud verò ad diminutã magnitudinẽ propriè refertur: præsertim cũ particulæ organum perficiẽtes numero pares supersunt, per mutilationẽ tantùm minores factæ. vt lingua ex dimidio amputata, & omenti portione abscissa, contingere potest: nec non cùm fractis ossib. frustula, & (vt vocãt) sqlulæ, detrahũtur, non integra ossa. Sub hoc genere etiã continentur, cõtra Galeni assertionẽ, labiorũ, auriũ, & nariũ κολοβώματα, hoc est detruncationes. Sic aliquarũ partium magnitudine aucta, totius organi figura corrũpitur: vt in ἐξοστώσει & ὑπερσαρκώσει

manifestè apparet: si tamen supercrescẽs caro & os particularũ appellationẽ merentur, q̃ potius ad excremẽta pertinẽt. Ad vtrũq; verò morbi genus, in numero videlicet ac magnitudine, referri debẽt, q instrumentorum mutilationes per quas partium constituentium vna vel plures omnino desunt. vt si cui tertius pollicis articulus abscindatur, digitus minor euadit, simul & ossium iusto numero frustratur. Id sanè voluit Galenus cap. 8. de differẽt. morb. dum inquit: Vbi verò ab instrumento quopiam aliquid eximitur, sed non eximitur pars absoluta, huiusmodi affectus in vtroque ferè genere comprehenditur. Quippe deest animãti tum simplicium particularum numerus, tum compositi instrumenti magnitudo.

Ex his manifestum esse puto, quinam morbi ex numero, q ex magnitudine peculiariter atque propriè dici debeant: quosq; ad vtrumque genus referre oporteat. Ex quibus etiam colligere licet, morbos ex numero in pluribus tantùm partibus consistere, vt qui ad discretam seu diuisam quantitatem reducãtur. Qui verò ex magnitudine sunt, in singulis partibus (nempe continuis & vnitis) considerantur: quãuis ad totius organi ex pluribus constituti, vitium id tandem referatur. Alio insuper discrimine differunt, q numero



numero quocunque modo vitiato instrumenti figuram corrumpi necesse sit. Ex magnitudine verò cùm aucta, tum diminuta, conueniens parti figura seruari potest, vt ex supradictis apparet. Est autem magnitudo quàm hic cum Galeno contemplamur, alius quàm tumor præter naturam affectus: nimirum simplex morbus in sola augmentatione & dimmutione consistens. At tumores præter naturam, quibus peculiarem librum dicauit Galenus, compositi morbi sunt, vt huius tractationis cap. 12. explicabit. Quòd verò strumam pro exemplo afferat, interpretibus facilè imposuit, qui etiam tumores præter naturam hoc loco tractari existimãt. Verũ, quũ addidisset [immoderati aucta] si scirrhosam affectionem considerasset, non solam magnitudinem, quum & ipse scirrhus sui ratione non parum functioni incommodet?

* * *

## DICTATVM VI.

*Galenum ſpecies ſolutæ vnitatis non ſatis explicaſſe: & ab Argenterio multis modis iniuſtè reprehendi. in cap. 11. li. diff. morb.*

GAlenum meritò reprehendit Argenterius, quòd ſolutionis continui, vt aliorũ morborũ, ſpecies minimè inueſtiget, aut proferat. Quas enim velut pro exemplo recẽſet, eiuſdem morbi in diuerſas animalis partes incidẽtis variæ appellationes duntaxat eſſe videtur: vt ipſemet docet initiò li. 4. meth. med. & cap. 4. li. huius. Sic phlegmone (q̃ vna eſt morbi ſpecies) pro diuerſis partib. diuerſas nuncupationes habet, ophthalmię, anginę, peripneumõiæ, pleuritidis, hepatitidis, arthritidis, bubonis, &c. Verùm ſolutionis cõtinui plures ſpecies eſſe videtur, nõ ſolũ vocabulis, ſed & natura diſtinctæ, quas inqrere oportuit ex cauſis proximis, aut generationis modo, vt ipſe Gale. vulnerũ differentias apprias cõſtituit, circa finem li. 3. meth. med. Sint igitur quatuor primę & ſimplices ſolutæ vnitatis ſpecies, vulnus, vlcus, cõtuſio, & ruptura, quã dilacerationẽ vocare licet. Et vulnus quidẽ eſto, ſolutio ab incidentib. facta, iiſq́; vel ſecantib. vel pũgentib. (hæc verò pũcturam peculiariter vocatã inferunt) in qualibet noſtri corporis parte. Neq; enim ſola cãro vulnerata dicitur (quamuis ad eã propriè vulnus & vlcus pertinere Gale. pręcitato loco ſignificet) ſed etiã oſſa, membranæ, ligamenta, nerui, cutis, &c. Ât oſsib. capitis inflictum vulnus propriã habet nuncupationem, κρανίου, ἄλσις, κρανίου, & ἴδρασις. Altera ſpecies erit Vlcus, ſolutio (inquam) ab erodentib. illata, q̃ nullis non partibus accidere põt. Nẽq; enim ſolius carnis affectio eſt, ſed etiã venarũ, arteriarũ, neruorũ, tunicarũ, viſcerũ denique omniũ, & quarũlibet partiũ. Omnes ſiquidẽ vlcerationi ſunt obnoxiæ. Quę tamẽ oſsib. ineſt, peculiari nomine Caries, Grę cis, σηπεδὼν, appellatur: vt σήπεσθαι, q̃ vaſis accidit. Tertia ſpecies Contuſio dicãtur, q̃ in oſsib. Fractura vocari ſolet. quia enim cedere nequeũt, à duris & grauibus vehemẽter pcuſſa frãguntur. Molliora verò, & q̃ in ſeſe cõtrahi poſſunt, vt oſſa puerorũ, & adultorũ quoq; cæterę partes, nerui, ligamẽta, carnes, & ſimilia contuſa dici cõſueuerũt. Ruptura deniq; nobis quarta & vltima ſpecies cõſtituetur, quæ omnibus, præterquã oſsib. accidere põt. Quippe lacerantur carnes, venæ, arterię, nerui, membranę, ligamẽta, cartilagines, &c. Fit verò potiſsimum à nimia tenſione, nonnunquam ab iis quæ non ſatis acuta ſunt: vnde vulnus cum laceratione accidit. Quæ in neruorũ fibris (muſculi par-

partibus præcipuis)fit ruptura, propriè à Græcis ῥῆξις vocatur, vt passim monet Galen. Ab hoc diuersus omnino est affectus quem iidem σπασμὸς appellant, neruorum contractionem, scilicet quam distinctionem Argenterius minimè obseruans, Galenum iniustè reprehendit. Ad illud accedere videtur ἀπόσπασμα, in ligamento facta laceratio; quam tamen ex contusione potius accidere, Galenus significat initio lib.4 meth.med. Ast idem sibi contradicens: ἀποσπάσματα instrumentorum duntaxat propria esse pathemata, hoc loco pronuntiat. Quod fieri non posse, bene sentit Argēterius: nisi (vt ipse interpretor) contiguitatis solius diuortio istud accidere dicamus. Non enim potest solui vnio partis instrumentariæ, manente integra & sibi cōtinua similari, quę ad instrumenti compositionē assumitur, vt ille ait.

Hactenus simplices solutæ continuitatis species omnes recensuimus. Si quas enim alias Galenus habere videatur, ad prædictas facilè reduci putamus, vt ῥῆξιν ad Contusionem. θλᾶσμα verò compositus est morbus ex contusione atque fractura. Diapdesin autem & anastomosin ad vnitatis solutionē minimè refert Galenus, vt ex cap.1.lib.4.meth.med. Argenterius malè colligit. Siquidem eo loco nihil



nihil aliud proponit, quàm ἐκχύμωσεως varias occasiones docere, de quibus sunt ἀναστόμωσις & διαπάδησις. Inquit enim: Quæ verò ἐκχύμωσις dicitur, plurimum vnà cū contusione ruptioneq; incidit. Fit autem aliquando & ex oris vasorum apertione, quam ἀναστόμωσιν vocant, & ex ea quæ à nō nullis διαπάδησις dicitur. Quod verò subiūgit: [aliud vtique tunc solutæ continuitatis genus] ad ἐκχύμωσιν etiam refertur: q̄ alterius modi est, cùm ex contusione vel ruptione fit, alterius dum ex ἀναστομώσεως vel διαπάδησεως ortum habet.

## DICTATVM VII.

*Qui dicantur plures morbi, & quis vnus, quis simplex, & quis compositus. In tumoribus præter naturā quis præcipuus affectus. & nunquid melius dicantur Apostemata, quam tumores.*

MVlti morbi dicuntur, qui multas & varias partes occupant. Hi verò sunt quadruplices: nempe Impliciti, Consequentes, Connexi, & Disiuncti. Impliciti quidem seu inuoluti ac cōplicati vocantur,

*Fern. li. 1. de diff. morbo. cap. 10*

Universidad de Deusto
Biblioteca



cantur, quum variæ illæ partes quibus in
sident, in communem vsum vel functionē
conspirāt. Eiusmodi sunt pleuritis & asth
ma, quorum concursu communia quædā
emergūt συμπτώματα, quę vix explicari aut
disiungi possunt, vt tussis & dyspnoea.
Sic dū erosa ceratoide procidit rhagoi-
des, & distorquetur pupilla, vel dū simul
concurrunt, ophthalmia, pterygion, vlc⁹
ceratoidis, rhagoidis procidentia, & in-
2. cipiens suffusio. Consequentes propriè
dicuntur, qui mutatione quadam sibi suc
cedunt: ita vt simul eodemque tempore
non sunt, sed prior in posteriorem abeat:
vt cùm pleuritis in peripneumoniam cō
uertitur, phrenitis in lethargū, colic⁹ do
lor in paralysim aut arthritidem, phleg-
3. mone in scirrhum. Connexi verò simul
& consequentes appellantur, quorum
prior superstes posterioris est causa: id
quod bifariam accidit. aliàs ex morbi na
tura, quemadmodum inflammationibus
internis connexę sunt febres assiduæ. A-
liàs ex partium conditione, quo affectus
communicari solent. Id fit trifariam: pri-
mum ex συμπαθεῖα, qualis est vtero cum mā
mis, & cerebro cum ore ventriculi. Dein
de situ proniore, quo superiorum partiū
excrementa in inferiores procidunt: vn-
de ex καθάρρῳ παράλυσις ἄρθρῖτις. Tertiò par-
tium robore atque dignitate qua in im-
becil

*Omnes tumores calidi hoc nomine significātur, vt lib. 1. ad Glau. ca. 1*



becillas & ignobiles sua excrementa de-
ponunt, vt viscera in habitum corporis,
præcipuè verò in glādulas & cutem. hinc
tumores præter naturam varii erumpūt.
Atque eiusmodi omnes morbi connexi
dicuntur, quòd nisi sublato priore, vix
posterior eximi possit. Disiuncti verò
ac separati habentur morbi, qui in distan
tibus partibus consistunt, quarū nec fun-
ctio, nec vsus est communis, neque vna al
teri peculiariter sympatitur: vt phlegmo
ni pedis atq; manus: quia tametsi specie
conueniant, nulla tamen continuatione
iunguntur. Euidentius plures sunt atque
disiuncti, qui & generib. & partib. distin-
guntur, vt ὀφθαλμία, & iecoris intemperies
frigida. Cōtrà, vnicus est morb⁹ qui vnicā
corporis partē vel sedē occupat, vt ieco-
ris obstructio, vel calida intēperies: nec
nō febris ipsa, quāuis varias partes affici
at, qa ex omnib. aptè cōtinuatis vnū cor-
pus efficitur. Porrò vnicus morb⁹ aut sim
plex est, aut compositus. Simplex, qui v-
nius tātùm generis naturam habet, vt ca-
lida intemperies, obstructio, vuln⁹. Atq;
hic vel solitarius est, vel comitem habet
causam efficientē, vel graue aliquod sym
ptoma. Compositus verò dicitur, qui ex
multis simul iunctis & veluti cōnexis cō-
creuit, vnicusq; sact⁹ est: vel quum plures
morbi in eādem *prorsus sedē cōcurrūt.
Est

*Aliquando enim tollitur, sed recidiua ex facili sequitur. neque funditus extirpari potest altero manente.*

** Pars hic significat omnē subiectā sedē in qua morbi insident: ne sine integra sit pars seu partis aliqua portio.*

** Hac dictio innuimus subiectum adequatum esse debere*

Universidad de Deusto
Biblioteca



Est autem duplex morborũ compositio: aut enim eiusdem generis morbi inuicẽ confunduntur atque miscentur, vt calida intemperies cum humida vel sicca: febris tertiana cum quotidiana, aut duæ tertianæ: & in digiti mutilatione particularum numerus deficiens, cum magnitudine diminuta. aut quæ sunt generis diuersi mutuò iunguntur, vt videre est in tumorib⁹ præter naturam. In singulis enim gemina intemperies adest: & partis vitiata figura, vel ex eo quòd meatus & spacia quæ inania esse oportet, ab humore aliquo præter naturam occupantur: vnde etiam accidit: vt contiguitatis diuortium fiat, sitque morbus in situ deprauato. Deniq; tumor si ad tantam magnitudinem attollatur, vt ob hanc ipsam functio impediatur, iam morbus censeri debet, authore Galeno. Huc pertinet vlceratus cancer, qui præter iam dictas affectiones, vnitatis solutionem (quam ad instrumẽtorum morbos meritò referimus) habet. Vnicus enim est morbus, sed compositus: aut certè vnicus affectus (vt & affecta sedes vna) qui diuersorum morborum rationem cõtinet. Cæterùm quòd ex Galeno prædiximus, tumorem ipsum morbis nõ adnumerari, priusquam partis functionem impediat, haud leuem dubitãdi occasionẽ nonnullis dedit, quisnam potior esset affectus

*Natura nil facit frustra, sed omnia alicuius gratia. Atqui inter similares partes inanes meatus constituit. Earũ occupatio, morbus est vacuitate deperdita.*



fectus in iis quos Tumores præter naturam vocant. Sunt enim qui velint duplicem intemperiem cum materiæ præsentia huius generis morbos omninò cõstituere. Quorum opinioni fauet Galenus, dum cap. 13. de diff. morb. phlegmonem esse dicit morbum similaris partis. nempe phlegmonem appellat, intemperiem cal. & humid. cum materia, nulla tumoris habita ratione. Id quod in aliis quoque ἔγκοις considerat, cap. 5. Alii magnitudinem esse potissimam affectionẽ contendunt. id ꝙ vel ipsa Tumoris* appellatio satis innuëre videtur. Nos verò neutram sententiam absolutè veram esse putamus: quum aliàs tumor, aliàs intemperies, præcipuam noxam inferat. Nam per ἐρυσίπελας de ardore potissimum quæruntur ægri: neque in hoc, dum exquisitum fuerit, notatu dignus est tumor. & in herpete pustulæ quædam, præ exiguitate facilè contemnendæ sunt. ast insignis intemperies lædit & discruciat. Contrà in frigidioribus tumor est, qui pręcipuè functionibus obest. Intemperies enim vix percipitur. Sanguinei verò dum maiores fuerint, medium seruant: siquidem pręintemperie ac magnitudine ex æquo nocent. Omnibus verò commune est, neque in postremis habendum, quòd per eiusmodi affectus contingit contiguitatis diuortium.

*Adeò vt quæcũque præterea in iis deprehẽduntur, vt color mutatus, tumor, dolor &c. accidẽtia sint, non de eorum essentia.*

** Noĩa ab iis solẽt imponi quæ præcipua sunt, ob id ex forma plæræque res nomen habent.*

Universidad de Deusto Biblioteca



*Id dictum est, propter eos tumores qui fiũt per συναθροισμὸν.*

uortium. Influens enim vel coaceruata materies, ſpatia quæ inter ſimilaria eſſe debent, occupat: & particulas à ſe magis diſtare ac ſeiungi facit. Qua ratione (opinor) moti Arabicæ familiæ ſequaces, eos omnes morbos Apoſtemata nominarũt. (melius profectò quàm Græci ὄγκους, & Latini Tumores, ſi verum eſt quod præmonuimus, tumorem morbi rationem aliquando nõ mereri.) Cogunt enim perpetuò ipſas partes abſcedere: & ex meatuũ occupatione vel maximè nocent, quòd non modò liberam tranſpirationem impediant, ſed & alimenti diſtributionem, ac excrementorum trãſmiſsionem remorentur. Quinetiam Græci plerumque ipſas φλεγμονὰς Apoſtematum nomine ſignificant, vt Hippocrat. lib. 6. ἀπηδ. ſect. 2. aph. 4. vbi inquit Ἀποστάσιες οἷον βουβῶνες. Conſtat enim bubonem eſſe phlegmonẽ glandularum. ἀπόστασις verò & ἀπόστημα idem prorſus denotant: Latini abſceſſum dicunt. Ab hoc differre putãt ἀπόσκημα, Decubitũ Latini appellant, quãdo humores priore ſede relicta in alium confluant, vt per morborum ſolutiones accidit, factis parotidib. vel arthritide. & cùm pus in apoſtemate collectũ aliò effunditur: cuius tranſmutationis varios modos explicat Gal. ca. 4. lib. de inæq. intẽp. Verùm id ab ipſo Galeno minimè obſeruari video: quin de ea-



eadem re indifferenter ἀπόσκημα dici & ἀπόστασιν vel ἀπόστημα: vt nunc citato loco apertè confundit, vbi ἀποστάσεως dictionem vſurpat. Et lib. 2. de cauſis morb. ca. 9. ſtultitiam & obliuionẽ accidere docet, morbis in ἀποστασιν declinantibus. Sed omniũ euidentiſsimè comm. in aph. ſect. 2. lib. 6. ἐπιδημ. vbi de eodẽ affectu differens, nunc ἀπόστημα, nũc ἀπόσκημα dicit. Aliàs ἀπόθεσιν appellat, quaſi Depoſitionem, vt comm. 12. ſect. prædictæ. ſi quidem per hos morbos partes aliæ in alias ſeſe exonerant, & ſuperfluos humores deponunt. Aliàs διαδοχὴν, & Hippocrates διαδεξίαν nominat, vt eiuſdem ſect. aph. 27. quaſi trãſitum & migrationem materiæ ab aliis in alias partes. Quæ omnia facilè Apoſtematis nomine intelliguntur. nam & particulæ ſuam viciniam amittunt, & humores priore loco deſerto in alium tranſmigrant. Sic Apoſtatam vocare ſolemus, qui à ſuæ religionis cultu deficit, receditque ab aliorum communione.

*Li. 1. epid. cõ. 2 aph. 21. Hippo. ait, febres quartanas nõnullas fuiſſe excitatas conuerſione aliarũ in has, vbi ἀποστάσεως nomine vtitur, quod μετάστασιν denotat, Galeno interprete.*

* * *

DI-

Universidad de Deusto Biblioteca



## DICTATVM VIII.

*In cap. vltimum de differẽ. morb. in quo Gal. instrumentorum morbos cõpositos explicat.*

INstrumentarias partes compositis morbis trifariam ęgrotare posse, Galenus ostendere conatur: sed id parùm fœliciter præstat. Quum enim similarium morbos instrumentariis ita connectit, vt singulorum natura distincta maneat, compositio nulla esse videtur: vt cùm intemperies calida humidaque ex affluxu materiæ (quam hic phlegmonem appellat) vnà cum luxatione articulum quempiam afficit: quæ vt diuersi omninò sunt affectus, ita diuersis tolluntur remediis, non vnico vt Apostemata, quę ex diuersi generis morborum concursu nascuntur. Quòd verò sæpius admonet, *similarium partium morbos per accidens ad totum instrumentum pertinere, ambiguum est, num eos significet, qui similariu proprij sunt, vt intemperies: an etiam quos similares tantùm sustinent, quamuis ab iis nihil patiantur, vt qui sunt in figura, numero, magnitudine, situ, ac vnione. Siquidem initiò phlegmonem proponit, quã pro

*In fin. ca. 2. lib. 1. de sympt. can. docet Gal. ophthalmiam per accidẽs nocere visioni pterigiõ verò & chymosin, per se pupillam obscurare. At non videtur maior de vno quàm altero ratio.



pro materiati geminaque intemperie vsurpat, mox verò corneæ vlcerationem, vueæ procidentiam, & distortionem pupillæ. De intemperie sic statuẽdum: Quæ insignis fuerit, non modò similarium functiones impedire, sed instrumento quoque ex accidenti & secũdariò, veluti quadam συμπαθεία, noxam inferre. quia scilicet imbecillitas similaribus accidit, quas suã firmitatem habere decet, vt ὄργανον ꝓprias actiones ꝑfectè exerceat. Hinc illud Gal. ca. 5. lib. huius: omnẽ imbecillitatẽ siue vẽtriculi, siue venæ, siue arteriæ, siue musculi, atque (vt simpliciter dicam) cuiuslibet instrumenti, tum vitalis, tum animalis, necessariò vel ob meatum ἀμετρίαν, vel ob intemperiem euenire. At non contrà fit, vt instrumentorum proprii morbi vel tantillum similaribus particulis noceãt. Totius verò instrumẽti affectus verè sunt qui instrumentis quidem peculiares, vel aliquas duntaxat organi partes occupãt, vt corneam tunicam, aut vueam. His enim malè habentibus oculum ægrotare dicimus, etsi totus minimè afficiatur. *Quod genus morbi, per accidẽs & secũdarium cum Galeno dicere nolim: siquidem proprii fuerint instrumentorum affectus, vt quos iam proposuimus. Neque verò est necesse particulas omnes simul affici, vt totum ὄργανον laborare dicatur:

*Id apertè significat, inquiẽs. horum trium affectuum quilibet oculi pathema putatur, &c. Sed (vt nuper dictum est) similarium corporum morbi ex accidẽte ad totũ instrumentũ referuntur.

Universidad de Deusto Biblioteca



quum vnius mala constitutio vniuersum corrumpat: quemadmodum vnicę qualitatis excessu temperies vitiari solet. An potius dicendum, affectus qui particulis vsum aliquem prębentibus insunt, totius respectu, morborũ causas vocari debere, vt Galenus ipse docuit cap. 6. lib. huius? Causa verò morbi, velut ex accidẽti & se
II. cũdariò actiones labefactat. Alteram cõpositi morbi speciem in organicis statuit Galenus, dum aliqua similaris pars compositum morbum sustinet, vt ὀφθαλμίαν adnata. Is siquidem affectus coniunctiuæ tunicæ peculiaris, ex accidenti ad totum instrumentum pertinet, vt ait Gal. Ratio est, quod similarium morbi omnes per accidens ad totum ὄργανον referantur de illius sententia: de qua quid sentiẽdum no
III. bis videatur, iam explicuimus. Tertiũ & maximè proprium compositionis modum esse putat, vbi vnius instrumenti cõplures partes simul sunt affectæ, ita vt singulæ singulos, inuicemque diuersos morbos sustineant: præsertim si particulatim quiuis eorum simplicium morborum, nõ ex accidenti, sed per se & primariò, toti' organi morbus fuerit, vt quos in mala cõformatione statuimus. Quemadmodũ si eodem tempore ὀφθαλμία, πτερύγιον, corneæ vlceratio, vueæ procidentia, atque suffusio contingant, morbus oculi totius dicetur



cetur cõpositus, authore Galeno. At nos anteà docuimus plures esse morbos, quicunque varias partes occupant, & implicitos quidem seu inuolutos peculiariter nuncupari, dum variæ illæ partes quibus insident, in communem vsum, vel functionem conspirant: cuiusmodi sunt omnes oculi, vel alterius instrumenti, particulæ. Quamobrẽ ex duab' quas Gale. infert opinionib' ea potior est iudicãda, q̃ prædictos affectus nõ vnũ cõpositum, sed plures dicit esse morbos in diuersis oculi partib' cõsistentes. Alioqui fateri cogemur (vt Fernel. infert ca. 10. lib. de morb. differẽ.) πλευρῖτιν, νεφρῖτιν, & pedis luxationẽ, vnicũ totius corporis morbũ esse cõpositũ: quos Gal. aptè vocat implicitos, in proëm. sect. 2. lib. 3. ἀδιδέκτα. Adde, quod Argenterius rectè annotat, non ex subiecto, sed causis efficientibus desumẽdam esse compositorum morborum rationẽ, vt de similarib. anteà cõstituit Gal. Cõpositos enim vocauit, qui ex duab' qualitabus, aliàs cum humore, aliàs nudis, inter se iunctis resulant. Sic (opinor) in organicis cõpositi propriè sunt, qui ex variis organicorum speciebus cõnexis ꝓueniunt. Si enim vna est compositorũ omnium morborũ, quatenus sunt compositi, natura, vnam quoque esse decet in omnibus rationem qua compositi dicuntur.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Postremò quinam primò ac per se,& quinam secundariò vel exaccidente partibus instrumentariis conueniant morbi,tũm simplices,tum compositi, exponit Gale.ex simplicibus eos toti organo primaria ratione cõuenire, veriùs quàm initio capitis,docens, quicunque ad vitiatam conformationem pertinẽt,vt suffusio:per accidens verò,qui vel similariũ proprii sunt,vel (vt Galenus sentit)vtrisque partibus communes. Eiusmodi est vulcus,& alia quæuis vnitatis solutio. In qua re sibi apertè contradicit: nam si vnitatis solutio non minus propria est organorum quàm simplicium partium,quo modo instrumentis ex accidente noxam infert? Compositorum denique morborum eos propriè ad totum instrumẽtum referri existimat,qui complures eius particulas eodem tempore infestant: per accidens autem,qui in vna quapiam ipsius particula consistunt morbi suaptè natura compositi.

*Hoc fauet opinioni Auerrhois qui vnitatis solutionẽ propriè ad similares pertinere censet.*

* *
*





## DICTATVM IX.

*Quænam sint differentiæ morborum maxime propriæ,quæ communes & accidentales,in hoc tractatu omissæ à Galeno.*

MOrborum differẽtiæ quædam sunt maximè propriæ & essentiales,vt quæ diuersas species à Galeno explicatas toto libro de differẽ. morbor. inscripto,constituunt, ab efficientibus causis desumptæ,iisque proximis seu immediatis:nimirum ab excessu primarum qualitatum intemperiem committente calidam,frigidam, humidam, vel siccam: & particularum instrumenta componentiũ vitiata figura,numero,magnitudine, & situ,vel cõnexione: quibus nos vnitatis solutionem addimus,causam morbi partiũ instrumentariarũ propriam nõ(vt putat Gal.)etiam similaribus communem. Rursus pro excedentium causarum numero, alii simplices,alii compositi fiunt:& aliàs vnicus est morbus,aliàs simul plures:iiq; vel impliciti seu inuoluti & cõfusi,vel cõsequẽtes,vel annexi,aut prorsus disiũcti. Ad hæc cõmodè referri putamus,legiti-

mos ſeuexq̃ſitos morbos,&quos ſpurios vocare ſolem⁹.Aliæ ſunt differẽtiæ min⁹ ꝓpriæ, vt quæ à remotiorib.cauſis petuntur,quales ſunt humores ipſi. Hinc dicimus morborum alios eſſe bilioſos, alios pituitoſos,quoſdam melãcholicos & nõ nullos ſanguineos. Necnon à ſubiecto in quo fiunt, morborũ differentiæ quædam oriuntur:vt q̃ alii ſint in ſpiritibus,alii in humoribus, alii deniq; in ſolidis partib. conſiſtant.Eiuſdem propemodum generis ſunt, quos particulares dicimus atq; vniuerſales.ſ.qui partem aliquã,vel vniuerſum corpus occupant.Itẽ quos iuueniles appellamus,& ſeniles,viriles ac muliebres. A ſubiecto etiã dici videntur,cõmunes & peculiares,& quos Epidemios, Endemos, atque Sporadas appellant. A cauſa verò ꝓcatartica, q̃ eſt omniũ remotiſsima,vt aëre q̃ ꝓ ſuis qualitatib. morbos varios excitat,dicuntur vernales,æſtiui,autũnales,& hyemales. Accidẽtales minus ſunt ab iis ſumptæ ſine quib⁹ nihil fieri pót,vt tẽpore &agẽdi modo.Et à tẽpore q̃dem ꝓ generationis diuerſitate, morbi dicũtur recẽtes aut inueterati, cõgeniti vel poſt natiuitatẽ accepti. Pro diuerſa aũt ſolutione,breues aut lõgi,&ab exitu ipſo,ſalubres aut lethales. Ab agẽdi mõ,q̃ alii p ἰδιοπαθείαν ſeu πρωτοπαθείαν,alii p συμπαθείαν accidãt. Sũt q̃ à ſymptomatis & læſionũ diuerſitate petãtur:vt à morib.mites atq; malignos dicim⁹:à mõ,vehemẽtes &lãguidos:à motu,acutos & tardos:à cõtinuitate,aſsiduos & intermittẽtes,ab ordine & æqualitate ordinatos & inordinatos,q̃uales, & inq̃uales,ſub q̃b⁹ cõſtãtes & inconſtãtes cõtineri videntur.ab incremento,ſemp augeſcẽtes, vel perpetuò decreſcẽtes,inter quos mediũ tenent qui eũdem ſeruãt tenorẽ: à cõuerſione deniq;,q̃alii ſint ex recidiua, alii ex alterius morbi mutatione, alii immobiles perſeuerent.Hęc, morborum ſpecies, à quib⁹ primæ ac præcipuæ indicationes petuntur,non immutãt,ſed ꝓ variis cõditionibus ſolent coindicare, ac curãdi methodũ aliqua ratione diuerſam reddere: vt non ſint negligẽda ei qui quoſuis morbos arte curare velit. Aliæ ſunt prorſus extraneæ morborũ differẽtię, quę nec ab eſſentia, nec accidentib⁹ morborũ dicũtur: quin potius morborũ nũcupationes, tantùm dici merẽtur à reb⁹ extraneis acceptæ. vt cũ vlcera quædã vocamus Telephia,aut Chironia:& epilepſiam morbũ Comitialem, icterũ verò morbũ Regiũ. Sic lues Gallica,& Anglicus ſudor, à locis in quibus vigere cœperunt,dicuntur: neque iis nominibus morbi natura, * aut certa cõditio(quæ ad morbi explicationem faciat)ſignificatur.



*Anglicus ſudor hic minus cõe nit. quum aliquãmorbi naturã ſignificet.*

# LAVR. IOVBERTI VALENTINI DELPHINATIS in lib. Gal. de Symptom. Differentiis, Annotationes.

CORPORI humano quinque accidere solent ἀλλόλοις παρακείμενα ἢ παρεμπλέκεσθαι adeò sibiip sis coniuncta, vt non sit facilè cuiuis discernere. Ea sunt causa, actio, πάθος vel πάθημα, morbus, atque Symptoma. Causam propriè dicimus, cuius actione πάθος, & morbus inferuntur primò, id est proximè, & immediatè: vt acré, & corrodentem humorem esse causam erosionis, & vlceris quod ab hac relinquitur. Et erosio quidem quæ πάθος dicitur, quandiu ipsa sit subsistentiam habet: cùm iam desiit agere causa, vt nulla est actio, sic neque passio vlla: vtrumque enim in mutatione duntaxat agnoscitur. Eodem modo & causa. nam ea propriè talis censeri debet, quæ agit, non quæ egit, vel agere potest, authore Galeno. Quippe actu & singulares causæ vnà cum suis effectis & adsunt, & tolluntur: vt docet Aristot. Idcircò passio actionem comitatur perpetuò, simulq; sunt ambæ: sic cũ actione causa. Vt tandé inferre liceat, tria hęc, ὑφ' ἧς γίγνεται, ἐν ᾧ ποιεῖ, essentiam constitutam habere, permanétia omnino frustrata cùm nullo temporis momento collectæ eorum partes subsistant, sed quemadmodum sermo, in fluxu perpetuo sint.

*Lib. de Constitut. artis medic.*

*Lib. 2. Phys.*

Morbus in eo consistit, quod ab agente causa in subiecto post mutuam actionem & passionem manet impressum. idque si cotumacius fuerit, καὶ διυλυτέτερον, ἕξις vocari meretur: vt hectica febris, cancer, elephas, & hydrops. Sin facilè amoueatur, seu multo, seu breui tempore iam perfecerit, quod pluribus morbis conuenit, διάθεσις tantùm nuncupari debet. Porrò cùm morbus omnis sit de similarium genere, quæ figuram nullam requirunt, nec essentiam generatione posteriorem habent, vt dixit Gal. protinus ac corpus cõstitutionis, quæ bonæ valetudini debetur, limites etiam amplissimos (vt neutro statui concedatur locus & nullus τῷ διαφόρῳ) excesserit, morbus eandem sibi naturam habet. Quamuis enim interdum adeò sit exiguus, vt neque à nobis dignosci, neque laborantium sensu percipi possit, nihilominus tamẽ propriam speciem adeptus esse censetur. Augẽtur verò magnitudine

*Lib. 1. loc. affl.*

Universidad de Deusto Biblioteca



gna ex parte morbi certo ſuæ durationis ſpatio: deinde conſiſtunt, tandemque declinant & pereunt, qui ſalubres dicũtur. His enim quatuor veluti ætates, à Medicis tempora vocata, tribuuntur: initium, incrementum, ſtatus, & declinatio. Eſt verò principiũ (ſi propriè ſumatur) ipſum quo morbi forma eſt introducta momentum, omni prorſus latitudine carẽs. Aliàs ſpatio id donatur à Medicis craſsiore (vt aiunt) Minerua eiuſmodi tempora diſtinguentibus. Rem verò ad amuſsim examinantes, omne id quod à primo morbi inſultu ad ſtatũ vſq; percurritur tempus, incremento tribuimus. Hanc morbi partem fientem vulgò appellant, & quandiu increſcunt morbi, eos partim fientes, partim factos eſſe volũt. Quod quã ſit impropriè dictũ, ex ſuperioribus licet colligere. Nam morbi ſimilares non eſſent: imò neque morbi abſolutè dicendi, ſed παθήματα pro maiori ſui parte, cùm accretio omnium longiſsimo tẽpore fiat. An non abſurdum fuerit dicere, hominem quandiu incrementũ capeſcit, vt à primo die natiuitatis ad finem vſque adoleſcentię, partim fieri, partim eſſe factũ? Augetur id tãtũ, cuius perfecta eſt forma, vt poſt Ariſtot. docuit Gale. aduerſus Eraſiſtratũ ſimili hallucinatione affectum diſputans. Proinde ex ſuperiùs citata ſentẽtia rectè in-

*Lib. 2. de facul. nat.*
*Lib. 1. loc. aff.*



infert, phlegmonẽ ſiue maxima (vt in ſtatu & incremento) ſiue minima (vt in principio) extiterit vnum, & eũdem affectum eſſe, non ſpecie quidem, ſed magnitudine virium à ſeſe differentem. Iam quid à ſuperiorib. differat morbus, apertius explicandum venit. Effectum omnem à ſua cauſa diuerſum eſſe conſtat: ſic morb⁹ ab eo, cuius impreſſum eſt veſtigium, apertè diſsidet. Quin & ſui ratione permanẽs eſt qualitas: Cauſa verò in efficiendo eſſentiam conſtitutam habet. Nihilominus quòd dicitur cauſa, permanens eſſe poteſt, non quatenus cauſa eſſe cenſetur, ſed vt alterius cuiuſdam effectus. Nam morbi quoque actionum læſarum cauſæ ſunt, iidemque permanentes affectus: non tamen quatenus cauſæ rationem habent, ſed effectus in ſubiecto relicti. Ob id etiã cauſas cõtinentes morbos omnes comitari, & permanẽtes eſſe, defendim⁹: aliarũ. ſ. quæ antecedentes vocantur, & quandoque externarũ effectus quidã corporib. impreſsi, à quib⁹ immediatè morbus ꝓducitur, ac cõſeruatur. his. n. profligatus morb⁹ oĩno deletur, vt manentib⁹ neceſſariò perſeuerat. Neq; verò indecẽs eſt, διαμονὴν morbis aſsignari: licet abſque ſua cõtinente cauſa ne minimũ q̃dẽ ꝑſiſtere poſsint: cũ id ſit cõmune omnib. maximè diuturnis, vt cauſam ſui cõſeruatricẽ poſ-

possideant, qua destructa, ipsa quoq; pereunt. Est autem conseruans, & fomes nũcupata, quæ in ipsa generatione effectus proxima causa fuit. Sit exempli gratia, morbꝰ intemperies calida vocatꝰ: hũc proximè excitauit, caloris supra debitã proportionem excessus, cuius causa esse potuit aromatum liberalior vsus, vel acrioris humoris cohibitio, ira, aut dolor immodicus, vel natatio in aqua sponte calida, aliúdve quidpiam ex assumendis, educendis, faciendis aut admouendis. Intemperiei conceptę & permanẽtis causa fuit, caloris excessus: ab hoc enim intemperies calida mox accidit. Caloris verò excellentioris causa immediata extitit res præcedens, quæ potuit calefacere, quæq; hunc caloris excessum in corpore etiamnum perseuerantem produxit. Excellentior enim caliditas permanens est, præcedentis causæ effectus, qui subsequentis ratione causa dicitur, eaque continẽs: nũquam enim poterit facta intemperies tolli, quandiu erit caloris excessus. Hic tamen etiam præterita, & absente sui causa, constans permanet. Cur nõ idem morbo conceditur? An quia morbus in constitutione quadam repositus, abvna, vel pluribus constitutionis partibus vitiaris cõtingit, ideò causa continente carere non potest? Siquidem causa ea est vitium in cõ-



stitutionis partibus impressum, quod quandiu in subiecto manet, effectum, id est morbum fouet, & conseruat. Partis similaris perfectio, quæ sanitas dicitur, ex proba quatuor primarum qualitatum cõtemperatione consistit. Morbus contrà ex δυσκρασίᾳ nascitur. Fit verò, quoties vna, aut duæ ex qualitatibus præter naturam excellunt. Cùm itaque proxima morbi causa in iis, quæ constituunt particulã, sedem habeat, quibus ipsa viuens destitui nequit, fieri nõ potest, vt morbus causam coniunctam sibi perpetuò assidentẽ non habeat. Quod de similarium partiũ morbis diximus, ad dissimilares etiã accommodari debet. Nam in figura, magnitudine, vnione, numero, aut situ deprauato continentes morborum causæ statuuntur: scilicet in constituentium partium vitio, à quo structura fit deterior, morbusque accidit. Quòd si quid ex multis minimè constet, aut seorsim consideretur, effectus causa abesse nihil obstat. Sic caliditas, (quæ simplex res est) auctionem ab externa, vel antecedente causa, non iã præsente acceptam seruat: & os à comprimente contortum, vt figuræ vitium retineat, causã coniunctã nihil indiget. Sublata quidem causa, omnis effectio cessat (quod pathos antea vocauimus) at manere potest effectus, cui si aliqua ex partibus

Universidad de Deusto Biblioteca



tibus constituentibus subiiciatur, causæ cõiunctæ ad morbum rationem habebit, & æqualem cũ morbo ipso permanẽtiam sortietur. Ex his manifestũ est, quantũ inuicem conueniant, & discrepent morbus, eiusque proxima causa, quę meritò συνεχὴς, id est cõtinens vocitatur: Et vnde eorum pendeat hallucinatio, qui ea ꝙ sint maximè ἀλλήλοις παρακείμενα & παραπλήσια distinguere nequeunt. Est verò stupidi prorsus ingenij cęteras causas à morbo distinguere non posse, vt internas quæ continentẽ causam præcedunt, & προηγούμεναι dicuntur: licet non rarò permanentiam habere videantur, qua ratione aliarũ effectus sunt stabiles in corporibus relicti. Nam quatenus causæ dicuntur, aliã habent naturam. Extrinsecarum verò, & procatharticarũ à morbis ipsis discrimen, etiã idiota quisque nouit. A pathemate verò quid differat morbus, etiam ex superioribus apertè colligitur. nempe morbum passio pręcedit, eaque ἐν τῷ γίγνεσθαι essentiam constitutam habet. Morbus verò de permanentium est genere, succeditq; pathemati. Est & in eo diuersitas cum primis notanda: quòd omnis morbus sit præter naturam, pathema verò etiam in naturali alteratione (vt sensuum excercitio) consistat. Iam quid symptoma dicatur, explican-



plicandum venit. Galenus in eius vocabuli vsurpando significatu admodum inconstans videtur. Nam in arte parua, & in methodo medendi, συμβεβηκὸς à Symptomate sic distinguit, vt quæ necessariò sequuntur ad κατασκευὴν, id est constitutionem qua actiones exercemus, in sanis quidem συμβεβηκότα, in ægrotantibus verò συμπτώματα vocitentur. Quam distinctionem ipse passim negligit. Quinimò symptomatum quædam naturalia, quædam præter naturam lib. de optima secta ad Thrasib. & libro primo metho. med. cap. 9. constituit. Ob id quoque (opinor) τὸ νοσῶδες aliquando subiungit dictioni symptomatis, quemadmodum libro quarto sanit. tuẽdæ, & capite duodecimo de different. morbor. vt, scilicet, excludat quæ secundum Naturam se habent, & sanis competunt. Ergo propriè loquentibus τὸ συμβεβηκὸς erit, quicquid in sanis ad partium temperiem, & conformationem sequitur: vnde ipsius constitutionis indicia desumimus. qualia ipse Galenus proponit lib. secũdo de temperamentis, & in arte parua cuiusmodi sunt, durities, mollities, &c. Symptoma verò semper id dicitur, ꝙ fuerit præter naturã, & absolutæ constitutioni ex aliquã tandem occasione superuenit. [Præter naturã] dico, at nõ prorsus contra naturã, vt color niger

Cap. 8. Lib. 1. ca. 9

ex

Universidad de Deusto Biblioteca



ex insolatu, candidior ex vmbra & otio, ruber ex pudore, pallidus ex metu. Quod si ægrotantibus, & contra naturã, seu ex morbo contingat, non absolutè symptoma, sed cum additione νοσῶδες vocari debebit, vt de quibus tractat Galen. de Symptomatũ differentia. Idem libr. 1. metho. meden. cap. 8. aliter distinguere videtur, vt quæ ad morbos sequũtur, quales sunt actionum læsiones, vocet symptomata insignia: quæ alia ratione accidũt. vt colores in sanis mutati, propria, & familiaria. Reliqua verò, quæ morbos comitantur, non tamẽ sunt actionum noxæ, symptomata nec familiaria, nec propria, sed sorte quadã incidẽtia. Porrò cũ triplicia sint τὰ νοσώδη, nimirũ παθοσνωμικὰ, ἐπιφαινόμενα, & συνεδρεύοντα, pathonomicis omniũ maximè quadrat sympto. nũcupatio, q̃a vnà cũ morbo inuadũt καὶ συμπίπτονται: vnde fit, morbum necessariò demonstrent. Quæ verò deinceps apparent, & iam constituto morbo nascuntur ἐπιφαιγνόμενα rectè vocantur, & ἐπιεννήματα, vel ἐπιγενόμενα, de quibus Praxagoras duos libros scripsit, vt adnotat Galenus. Impropriè verò symptomata dici constat, cùm in primo exquisitè morbi principio non sint apta naturâ inuadere. In prædictorum medio ambigunt συνεδρεύοντα vocata, quæ nonnunquam simul cum morbo inuadunt, aliquando

Com. in aphor. 12. li. 1.



quando superueniunt, nonnunquam ne omnino quidem veniunt. nam à morbo inseparabilia non sunt, perinde ac παθογνωμικὰ: nec eius substantiam constituunt, sed proprias faciunt differentias, quorũ omnium exempla loco nunc citato proponit Galenus.

His ita constitutis, alia symptomatis notio, quæ ad nostrum institutũ propiùs accedit, est declaranda. Nempe eam dictionem nonnunquam generaliùs accipi, vt idem significet, quod παρὰ φύσιν: atque talem descriptionem merebatur vniuersa Galeni tractatio, quę est de morbis, symptomatis, & eorum causis. Aliâs, & frequentiùs speciatim dicitur symptoma, quicquid morbum necessariò sequitur, aut comitatur velut vmbra corp⁹: de quo est liber περὶ συμπτωμάτων διαφορᾶς inscriptus. Horum quædam in motu sunt, & ἐν τῷ γίγνεσθαι essentiam constitutam habent: non secus ac energiæ, ac pathemata, vt actionum lęsiones. Quippe si actiones in mutatione ipsa tantùm consistunt, & contraria sub eodem genere locum habent, seu laudabiles, seu vitiosæ fuerint, eòdem pertinebunt. Similis est ratio detentionis excernendorũ, & retinendorũ excretionis, quæ quandiu fiunt, non deinceps existunt. Ab his verò, & aliis actionum noxis, alia subinde nascuntur sym-

Universidad de Deusto Biblioteca



ptomata, quæ διαθέσεις vocari merentur: q̃ permanẽtia sint, vt colores mutati, & aliẹ qualitates secundæ & tertiæ. Sunt enim fixæ & stabiles, ab alteratione facta per morbum relictæ: nonnunquam adeò constantes, vt ἕξεις dici queant. Aliàs noui sub oriuntur morbi, quorum prædicta symptomata causę rationẽ habent: vt ex cruditate, & excrementorum prouentu, obstructio. Hinc manifestè patet symptomatum quędã cum morborum causis, & cum pathematis coincidere, atque illorũ modo ἐν τῷ ποιεῖν, vel ἐν τῷ ποιεῖσθαι essentiã habere constitutam. nonnulla verò, perinde ac morbos affectus esse. Cæterùm ab ea quę absolutè dicitur causa, hoc discrepat, q̃ symptomatis ratio sit ad morbũ, sequi, vt causæ eundem præcedere. A pathemate verò, quòd nõ omne sit præter naturam: vt de sensuum alterationibus est manifestum. symptoma verò de iis tantùm dicitur, quæ præter naturam accidunt. Hoc etiam differre videntur, quòd pathema semper ἐν τῷ γίγνεσθαι essentiam constitutã habeat: symptomatum verò quædam sint διαθέσεις, & ἕξεις. vt antea fuit demonstratũ.

Superest vt quid symptoma cũ morbo conueniat, quídque ab eo differat, explicetur. Cùm symptoma morbum necessariò sequatur, eius effectum esse constat, & naturâ posterius. Attamen quidã morbi sym



bi symptomata etiã dici solent, vt febres internarum inflãmationum comites. Verùm symptomatis speciatim vocati ratio illis non cõuenit, neque sub vlla eius specie contineri possunt: at symptomata nominantur, vt quicquid pręter naturam accidit, vel quod necessariò ex morbo infertur. A morbis verò ea symptomata cæteris plus dissident, quæ omni permanẽtia frustrantur. Omnibus autem cõmune est, nõ alia modò symptomata, sed morbos quoq; inferre posse: vt & causarũ, & morborum rationẽ sortiantur. Nihilominus tamen asserimus, eum duntaxat propriè & absolutè nuncupari morbũ, à quo functiones primùm labefactantur, seu labefactari incipiunt. vt si plures fuerint mutuò se consequentes, & inferentes noxæ quæ primam induxit, morbus verè dicatur: ídque sit primò, & per se actionem lædere. Postremò in quo simul conueniant ea de quibus vniuersim dicitur, & an sub eodem genere constitui possint, est discutiendum. Ex supradictis licet colligere, διάθεσιν omnibus non quadrare, atque impropriè dici affectus præter naturam esse tres, causam, morbum, & symptoma. Hæc enim in affectu non conueniunt, sed tantùm ἐν τῷ ἔχειν τῶν φύσιν. Quinimò sub diuersis generibus comprehenduntur: nempe omnis causa,

Universidad de Deusto
Biblioteca



vt talis est, ὡς τῷ πρός. Id verò quod dicitur causa morbi, triplex habet genᵃ, qualitatem scilicet, quantitatem, & situm. In qualitate est, quicquid intemperiem facit, & viriata figura. In quantitate, quod morbi in magnitudine, vel numero causa est. Ad eãdem refero vnitatis solutionem, vt quæ in quantitate continua fiat. In situ morborum causæ sunt vitio connectionis, seu coniunctionis, adeóque vicinitatis seu distantiæ, præter naturam. Talia verò esse morborũ causas, non morbos ipsos, rectè docuit Argenterius. Neque enim sunt morbi calor, vel frigus, siccitas, aut humiditas excellentia, neque figura, aut magnitudo, vnitas, numerus aut connexio deprauata, sed morborum causæ proximæ, vt siquis propriè loqui velit, dicat instrumentorum morbos esse ex figura, magnitudine, vnitate, numero, aut situ vitiatis: aliarum verò partium ex vnius, vel duarum qualitatum temperamenti excessu. Nam si tibiæ, vel femoris ossa conuenientem figuram admiserint, ambulationis organum ęgrotabit, eritq; figuræ vitiũ ægritudinis causa non morbus ipse structuram enim labefactat, in qua est sanitas, & perfectio, ambulationis causa. Cæterùm morbi ipsius proximum genus esse putamus κατασκευήν, quæ sub ἕξεως: & ἕξις compræhenditur in qualitatis prædi

*Li. de morb. generib. cap. 2.*



prædicamento. Est enim alia corporis, alia animi διάθεσις καὶ ἕξις: hęc de virtutibus & disciplinis, illa de morbo & sanitate dicitur. Estque speciatim appellata κατασκευή (licet hanc quoque ad animam referat Plato, vt etiam μεταφορικῶς morbum & sanitatem menti attribuimus) apparatus, & structura partium corporis, qua vitæ functiones perficiuntur. In eo siquidem sanitas consistit, quæ est passio viuentis corporis. Id verò structum esse decet, veluti suppellectile affabrè composita: cùm anima ipsa definiatur actus primus corporis organici in potentia vitam habentis. Symptomata denique (vt etiam de causis diximus) non vnius sunt generis. Quippe alia sub qualitate comprædiuntur, vt quæ ex mutatis qualitatibus sunt: alia sub actione & passione locantur, vt noxę functionum, retentiones, excretionésque. Ex quibus tandem inferre possumus, sub vno eodémque proximo genere non contineri causam, morbum, & symptoma. Sed neque id est necessarium, quum minimè contraria sint. nam eidem simul, eodémque tempore accidere possunt, alia tamen atque alia ratione, vt febris assidua internæ inflammationis comes, quatenus ad inflammationem necessariò sequitur, symptoma vocari solet: at eadem morbus est, qui alte-

Universidad de Deusto Biblioteca



rius morbi poteſt, eſſe cauſa, vt laxitatis vteri à qua fiat abortus: quia nimis patẽs vterus nequit fœtum continere.

---

*Quot, & qualia debeant conſtitui genera ſymptomatum.*

SYmptomatum ſpeciatim dictorũ riplicem differentiam eſſe vult Galenus. alia enim ſunt (inquit) corporis noſtri διαθέσεις: alia functionum noxæ: alia ad vtraque conſequuntur, ex retentorũ, & excretorum ametria. ſic etiam ſtrepitus qui in animante ipſo excitantur, & reliquæ omnes differentiæ, eorum quę ſub ſenſus cadũt. In qua diuiſione tria potiſsimũ repræhẽſione digna occurrunt. Primum eſt, quòd tres differentias eſſe profeſſus, quinque enumeret. Si quidem ſtrepitus non aliter quàm vox & ſonus, ἐν τῷ γίγνεσθαι eſſentiam conſtitutam habet. Neque dici poteſt διάθεσις, vt aliæ qualitates mutatæ. Neq; verò eſt de functionum læſione, aut excretorum retentorúmve ametria. Quinetiam aliud ſymptomatis genus videtur innuere, ex reliquis differentiis eorum, quæ ſub ſenſus cadunt, vt ſpecies ſit dolori, & ſuæ cõtrariæ voluptati præter naturam, quę tactui obiiciuntur. Alterum animaduertendum caput



caput eſt, quòd tres illas ſibi perſuaſas ſpecies, incidenti ordine recenſeat. Nam primo loco, quam nouiſsimã eſſe decet, διάθεσιν, vt quæ actioni læſæ, & excretis, vel retentis ſuccedat, ſtatuit. Rectiùs initio libri 12. metho. meden. Sunt (inquit) eorũ primæ differẽtiæ tres: aut enim in actionũ offenſa cõſiſtunt, aut in retẽtorũ, vacuatorũq; immodico exceſſu, aut corporũ ipſorum affectu. Poſtremò id redarguendũ venit, quod ait ametriam retẽtorum & excretorũ ſequi ad prędicta. nam vt fatear hęc actiones lęſas conſequi: tamen affectus corporis inferunt, potiùs quàm ab iis vllo modo naſcãtur. Sed multò plura ſunt in ſymptomatum diuiſione examinãda: nẽpe an tria ſufficiãt genera, quod non probat Argenterius. & vtrùm prima dici mereãtur omnia. vt Gal. in citato locó viſus eſt innuere. Præterea vtrũ lęſę actionis differẽtię tres tãt ùm aſſignari debeãt. Deinde an qualitates omnes mutatę, ſiue omnes eorũ, quę ſub ſenſus cadũt, differẽtię ſub eadẽ ſpecie cõtineri poſsint. Nũ ipſa excretio, & retẽtio pręter naturã poſsint excretę materię, & retentæ ſymptomata dici. Et vtrùm differẽtiæ eorũ numerus à Galeno tradit' omnia id genus ſymptomata cõtinere queat. Vnicã eſſe primũ ſymptomatis ſpeciẽ, q̃ actio læſa dicitur, multa docet. Primũ

Lib. 12. Meth

Universidad de Deusto
Biblioteca



quòd nullum aliud ſymptoma poſsit im
mediatè morbo accidere: excreta enim,
& retenta præter naturam ſunt, quoties
retētrix aut expultrix facultas ſuas actio
nes perficere nequit: itaque præcedit a-
ctio læſa. Nec minus qualitates mutātur,
quibuſdā actionib⁹ labefactatis, vt licet
inductione facta colligere. Sed & ratio
cōfirmat, vnicū eſſe primū ſymptomatis
genus actionē læſam: cùm ſit actus eſſen-
tialis morbi nocere, eóq; in definitione
locū habeat: eſt enim precipuus, & ne-
ceſſariò contingens effectus omni mor-
bo cōueniens, quod de aliis duobus dici
nō poteſt. Et cur cętera duo ſymptoma-
tum genera, ſi eiuſdē ſint ordinis, nō ſimi
liter in morbi definitione ponūtur: vt di
camus morbum eſſe κατασκευὴν pręter natu
ram, quæ actiones labefactat, excremēta
retinet, &c? Inquies, ꝓpterea quòd reli-
qua duo nō ſēper inferūtur. Ergo morbi
definitio omnes ex ęquo morbos nō cō-
tinet, q ijs cōuenit poſteriora ſymptoma
ta inferūt, aut certè iſta ſub actionis lęſio
ne cōtinētur. Aſt eiuſdē ordinis ſpecies a-
lię ſub aliis latitare nō debēt. Quāobrem
nō erūt hęc primę diuiſionis ſymptomatū
differētię, ſed poſteriores (ſi tamē diuiſio
dici poteſt, quæ vnicā partē habet) eorū
ſ. quæ ab actionibus læſis procedere ſo-
lēt. Quid? ꝙ ipſe Galenus in illa ſentētia
quam



quā citauimus, tertiū gen⁹ à cęteris duo-
bus manare ꝓfitetur. Hic rurſus inſtabis,
ex eiuſmodi opinione ſequi, morbos nō
eſſe perpetuò ſymptomatū cauſas proxi
mas: cùm alterū ab altero ſymptoma na-
ſcatur, vel actio læſa morb⁹ erit dicēdus:
ꝙ Gale. in quibuſdā (& meritò) repræhē
dit. Sed neq; Galenus ipſe vult ſympto-
mata quęuis à morbis immediatè pēde-
re: cùm apertè ꝓnūtiet nōnulla interue-
nientibus quibuſdā aliis ſymptomatis, à
morbo proficiſci. Nos verò omnibus id
cōuenire, præterquā actioni læſæ, quæ ſo
la nullo mediāte morbū ſequitur, cōten-
dimus. Neque eſt neceſſe à morbo imme
diatè venire ſingula, ſed tātùm vt omniū
caput à morbo immediatè originē tra-
hat. Ea verò eſt actio lęſa, quā morbū de-
finiētes dicimus, primò, id eſt nullo inter
ueniēte, à morbo, inferri. Scio id nō pla-
cere doctiſsimo Argēterio, qui facultatē
à morbo, prius q̄ actionē labefactari affir
mat. Noſtri reſpōdent, medicos niti ſen-
ſuū iudicio: & quia notior eſt actio quā fa
cultas, illā poti⁹ in morbi definitione aſ
ſumi. Quòd ſi ea ratione fieri debet, ſati⁹
foret opus, actione notius vti poſterius
hic cōtēplari. An verius dicas, facultates
nūquā poſſe labefactari, ⁎ eſſe incorrupti
biles formę ꝓpriętates, quæ nullā depra
uationem ſentiāt? at corporis κατασκευὴν in
qua

*Adde quòd actionem partis alicuius lædi poſſe, illæſa eiuſdē facultate, ſchola medicorū ex Galeno recipit. Ergo omni morbo non cōueniret definitio, quæ facultatem primo labefactari diceret.*

qua ſanitas,& morbus cõſtituũtur,varias ſubic mutationes: vnde actiones quoque laudabiles, aut vitioſę manãt. Sic artifex,cui inepta ſint inſtrumẽta,perperã agit,& operis materiã deuaſtat: nullo interim errore in illi⁹ diſciplina,quę eſt facultas,deprẽhenſo. Quòd ſi quis obiciat Galenũ ſtatuere facultatẽ ipſam aliquando per ſuã eſſentiã lędi:ſciat eidẽ authori facultatũ eſſentiã eo loco, vt aliis quã plurimis,nihil aliud ſignificare,quã tẽperamentũ: quod nos facultatũ organũ dũtaxat eſſe defendimus: vt verum maneat, actionẽ ſolam à morbo immediatè lædi. Ex his demum colligas, propoſita ſymptomatum genera dici alia ratione prima: ſcilicet ,quòd ſint omnium ſymptomatum capita,ſub quibus infinitæ propemodum ſpecies contineantur. Sed an numerus ille ſufficiat,inquiram⁹.

*Initio lib. 3. de sympt. cau ſit.*

Omnia ſymptomata ſub tribus generibus inueniri,omnes vno ore fatẽtur:præter doctiſſ.Ioannẽ Argẽteriũ, qui dolorem,& ei contrariã voluptatẽ,ad ſupradicta genera pertinere minimè patitur: cùm tamẽ ſymptomata eſſe cõſtet. Non enim actiones rectè dici, nec in actionibus conſiſtere,multis rationibus demõſtrare nititur. Ego verò aliter de hac re ſtatuendũ cẽſeo:nẽpe ſub actione cõtineri ſenſuum alterationes,quas pathemata vocauit



vocauit Plato: vt eorũ actio ſit quædam paſſio. Id enim voluiſſe Philoſophũ conſtat, dum ait: ſentire eſt pati. quãuis ſenſatio nõ obſcurè actionem denotare videatur, & ſenſus quando exercentur ,agãt. Porrò ſi iucũda fuerint quę ſenſus alterant, voluptas ſit: vt ex lętis coloribus, melodia,ſuaui odore,ſapore grato, & re tactili planè iucunda. Sin diſpliceãt, triſtitiã inferunt, quæ in tactu peculiari dictione Dolor vocitatur. Quòd ſi neutra extiterint,pathema ſimplex efficiũt. Erit itaq; dolor pathema triſte ſenſus tactus. Cumq; pathema hoc in loco cũ actione coincidere videatur, eiuſdẽ quoque generis fuerit: Iam verò qualis ſit actionis læſio conſiderandum. Abolitam non eſſe paſsionem, quæ ſenſuũ actio dicitur, vbi dolor eſt, ex eo ſatis probatur, quòd minimè doleãt, quibus ſenſatio eſt negata: Debilis verò, ſeu prẽter naturã diminuta iis eſt,qui obtuſè ſentiũt, ,pindeq; minus afficiũtur: vt cõtrà delicati, & molliores à leuiſsimis quibuſque obiectis dolẽt. Supereſt, vt ad deprauatã ſolùm pertineat, quæ in aliis ſenſibus manifeſtè deprẽhenditur,quoties aſcititia qualitas, hallucinationẽ facit. Nã in cornea tunica cõcept⁹ lutus color viſioni imponit,facitq; vt omnia eſſe lutea perperã cẽſeat. Et aurium tinnitus, ſybilluſve deprauatam

Universidad de Deusto
Biblioteca



tam auditionē facit, vt torrētes ſubaudi
ri videātur. Sic nariū fœtor falſam tetri
odoris opinionem adfert, & linguæ, ac
palati amaror cauſa eſt, vt quæ guſtantur
amarulenta appareant. Quæ omnia ſunt
deprauatæ actionis exẽpla, cùm nõ qua-
lia verè ſunt, ſenſus deprẽhendant. In tac-
tū verò eiuſmodi error incidere nõ vi-
detur: quod tamẽ quis facilè credat, cùm
in thermis ſentiat vrinā frigidiorẽ, quàm
naturâ calidiorem eſſe cõſtat. Verū in eo
ſtatu corpore ſupramodū calefacto ipſa
frigidior eſt, vt integrum ſit iudicium.
Aſt in obiecto triſti percipiendo, quod
facit dolorẽ, tactus nuſquam hallucina-
tur, proindéque paſsio, actióve depra-
uata cenſeri non debet, ſed tantùm iniu-
cunda, & diſplicẽs. Neque enim eſt, quòd
quis obiiciat, mente captorum errores,
cùm nulla occaſione doloris prẽſente vo
ciferātur, & clamāt, quaſi vrerétur, ac vul
nus acciperét: quippe in his mẽs ęgrotat
nec in tactu vlla eſt paſsio. contrà dolẽ-
tes iidẽ non ſentiūt: quòd tunc temporis
ſit veluti abolita ſẽſatio partis, facultate,
qua obiecta dignoſcūtur, aliò occupata.
Hæc ſi vera ſunt, dolorem, eique oppoſi-
tam voluptatem præter naturam (qualis
locum pruriente ſcabẽtibus accidit) ſub
functionis vitiatę peculiari quodam ge-
nere cõſtituere oportet. Cùm nec aboli-
tæ, nec



tæ, nec diminutę, imò nec deprauatæ ſẽ
ſationis ſymptomata dici mereātur, ſed
triſtis, aut præter naturam iucundæ. Nec
malè dolorẽ definiuit Gale. ſenſum triſtẽ
eſſe dictitās: cùm ſenſus etiā dicatur pa-
thema, quod fit ab obiectis in ſenſiterio,
ſiue ſenſus organo. Pathema verò id quo
ties triſte fuerit, in tact' ſenſus dolor pro
priè nũcupari ſolet, vt iucũdũ voluptas:
in aliis peculiarẽ appellationẽ nõ habet,
ſed iucũda, aut triſtis ſenſatio dicitur. Ex
iis patere arbitror, tria illa ſymptomatũ
genera à Galeno inſtituta ſufficere, neq;
doloris, aut ei cõtrarię voluptatis gratia
nouum eſſe introducendũ: quandoqui-
dẽ ad actionẽ lęſam cõmodè referantur.

Eadẽ opera mõſtratũ nobis eſt, (quod
tertio loco diſcuriendũ proponebatur)
præter actionis lęſę differẽtias tres à Ga
leno aſsignatas, quartã eſſe dolori, ac vo-
luptati aſsignandã. Itaq; iã aliud ſpectã-
dum occurrit, an ſub deprauata functio-
ne immodica poſsit cõprehendi. Etenim
functiones quãdoque ipſo exceſſu dam-
nãtur vt excretio fluxionũ cauſa, & reten
tio humoris inutilis. Sic appetẽtia nimia
quæ canina dicitur: hãc enim licet aper-
tè diſtinguere à deprauata, in qua inep-
ta quęq; & ciborũ appellatione indigna
expetũtur, vt dũ κίτρια aut μολόκλα laborant
mulieres. At in famẽ ingẽti optimis gau

dent

dent alimentis nec nisi immodicè appetunt,& insatiabiles deprehendûtur. Adde, quòd si nimietate sola dánandá functionẽ sub deprauata velis contineri, & diminuta ei ex aduerso posita sub eadẽ collocãda veniet. quippe cõtraria eidẽ generi subiiciũtur. Itaque duo duntaxat erũt functionis vitiatæ prima genera, abolitę nimirũ & deprauatæ:cùm hęc de imminuta æquè ac supramodum aucta,prædicetur. Quamobrem satius erit, actionis læsæ differentias sic statuere, vt prima sit abolitæ,altera auctæ, vel diminutę,tertia deprauatę,& quarta doloris, aut voluptatis præter naturam.

Iam aliud propositorũ caput aggrediamur, an qualitates omnes mutatæ præter naturã sub eadem symptomatis specie cõrineantur: colores videlicet, odores,sapores, soni, & quę tactui subiiciuntur. Duplica sunt in quib' eiusmodi qualitates spectare possumus, scilicet, corporis partes, atque humores. In his mutatę præter naturam, excremẽta esse faciunt,proindeque ad aliud genus pertinent: in illis verò cõsideratę, secundũ genus symptomatis, de quo nunc agimus, cõstituunt. Porrò in iis diserimẽ obseruãdũ venit,quòd alię diatheses dici mereãtur,aliæ ἐν τῇ γενικῇ essentiã cõstitutã habeãt: cuiusmodi sunt audibiles qualitates



tates.Cæteræ verò omnes, affect' corporis citantur. Quã distinctionẽ ex Galeno licet colligere: qui affectus corporis in quatuor tãtùm diuidit:nẽpe visibiles, odorabiles, gustabiles, & tactiles. Neque deinceps, vbi eadẽ quatuor seriùs colligit,audibiliũ mentionem habet: sed postremò dũtaxat, inquiens, Prętera quic quid reliquorũ symptomatũ est,siue voces, siue strepitus in animante sint, &c. Quinetiam ca.2.eiusdem libri,cùm proposuisset trisariã distingui symptomata, quòd alia sint corporis nostri diatheses, alia functionũ noxę,alia excernẽdorum, & retinẽdorũ ametria, subiũgit:Similiter strepit', qui in animãte ipso excitantur, & reliquę sẽsibiles differẽtię omnes. Ergo qualitates corporis à naturali cõditione muratę, sunt duplices:alię in motu,alię cõstãtes,quas rurs'ad instar actionũ lesarũ subdiuidim' in abolitas,auctas vel diminutas, & deprauatas. Siquidẽ rubicũdus color, vel roseus ex morbi lõgitudine pallori omnino cedit: augetur verò in peripneumonia, minuitur plerisq; in morbis ab initio, deinceps periturus. Est autẽ deprauatus, qualis nũquam secundum naturã apparet, viridis, luteus, liuidus,aut plũbeus. Odorabilium,& gustabilium similis est ferè ratio:si & factibiliũ,quibus secnudas qualitates duntaxat non primas, vt quæ intemperiẽ adeòque

Initio cap. 5. de diff. sympt.

Universidad de Deusto
Biblioteca



morbum non ſymptoma)cõſtituant. Sed neque omnes ſecundę qualitates dicimerẽtur ſymptomata,cùm aſperitas, & læuitas, raritáſque & denſitas ad morbos in figura referantur. Superſunt durities,& mollities,viſciditas,&friabilitas,lentor, & rigiditas, leuitas,& grauitas,& ſimiles tactui ſubditæ, quas genus hoc ſymptomatis habet,præter naturam abolitas,auctas vel diminutas, aut etiã deprauatas. In audibili qualitate præter vocem abolitam, auctam vel diminutã, atque deprauatam,aliam conſtituo noxam,quę toto genere præter naturam videtur. vt quando ſoni à partibus minimè cõuenientibus facti audiũtur:cuius generis eſt,tinnit' aurium,pulmonis ſonus in aſthmate,ventriculi rugitus, inteſtinorum βορβορυγμός, ructus,&ani crepitus.Alia quippe eſt ratio vocis, quæ debet emitti, quum vitio inſtrumentorum ei perficiẽdæ dicatorum, vel etiam materiæ defectu, accidit eam aboleri,minui,vel adaugeri,aut deprauatam edi: tremulam videlicet, plangentem,raucam,turbidam, aut alio modo viciatam. Cæterùm à morbis immediatè mutari qualiates videntur: cùm ab intemperie quadam proueniant. Attamen,vt actionis læſio interueniat, neceſſarium exiſtimo, quod priùs explicaui. Id verò eſt in audibilibus, quàm in aliis longè



longè manifeſtus: quippe niſi actio partium vocem perficientium labefactetur, nunquam talia contingunt. In aliis verò,quæ ſonos edunt præter naturalem inſtitutionem,ea lędditur actio quàm habent cum cæteris partibus communem, ſcilicet expulſio. Cùm enim flatuum excretio non fiat, ſibili & murmurilla ſubaudiuntur: quinetiam præcedit ipſorum flatuum generatio, ab aſſimilatione labefactata.Supereſt tertium genus ſymptomatum, quod an ad excreta, retentaque, an potiùs ad excretionem ipſam & retentionem pertineat, ex Galeni doctrina vix colligas. Siquidem aliàs materiam excernendorum, ac retinendorum conſiderat,aliàs actionem circa hæc malè ſuo munere fungentem. Et materiam quidem apertè ſignificat, initio capitisvltimi de differ.ſympt.ſcribens:*At ea,quæ præter naturam vel excernuntur à corpore,vel detinentur,per tres differentias prima ſectione diuiduntur,&c. Verùm,quod ſtatim proponit exemplũ, actionem denotat, potiùs quàm materiam. Αἱμορῤῥαγία enim eſt ſanguinis effuſio,expultricis,aut contentricis facultatis errore facta, non ſanguis ipſe qui effunditur. Sic etiam διαῤῥοιαι, ἐκχυσεις, ῥαγαδες, & διαῤῥοαι excretiones,aut retentiones præter naturam factas, nõ vrinam ipſam,

* Idem ſcribit in fine cap.5. (vt ego diuido) libr.2. ſympt.caus.

quæ retinetur aut expellitur, indicant. Id ex eo confirmatur, quòd ipse docet cap. tertio, de differ. sympt. actiones motiuas recensens, inter quas obiter ἰσχυρίαν, & ἀσθενείαν enumerat. Sed apertiùs multò lib. 3. de causis sympt. hæc inter actiones, motus inquam depravatos, constituit. Adde quòd initio cap. secundo de differen. sympt. genus hoc tertium proponens, ait esse in ametria excernendorum, & retinendorum, atque priora duo sequi. Est igitur immodica, aut præter naturam facta expulsio, & retentio, quibus tertium genus symptomatum vult assignari. Sed quid tertio est opus, cùm excretio atque retentio sub primo (actione inquam læsa) contineantur? Ob id sanè (opinor) vbi lib. primo methodi medendi. cap. 8. actiones læsas distinguit, ab iis quæ vocat nec propria, nec familiaria, sed sorte quadam incidentia, excretionis aut retentionis non meminit, quia sub actione læsa reponuntur. Quippe multò maioris sunt momenti, quàm sorte quadam incidentia: vt ab his minimè significari possint. At (inquies) si hemorrhagia, & diabetes ex actionib' sunt, quid erit sanguis ipse, & vrina immodicè profluens? Tria sunt nobis distinguenda: excretum, quod excernitur, & excernendum. Quod ad excretum attinet, qualecunque id fuerit, quia



quia iam abest, nihil eorum quæ præter naturam corporibus inesse dicuntur, censendum fuerit, nec proinde symptoma dicendum: sed id duntaxat quod in corpore ipso præter naturam spectatur. Sic morbum ex mutilatione, ad reliquam partem quæ adhuc manet, & seruata est, non ad amputatam, referendam censet Galen. capite octauo de differen. morborum. Quòd verò præter naturam excernitur, cùm esset retinendum, haud dubiè symptoma non dicitur, sed ipsa tantùm excretio. hæc enim sola, non etiam illud, peccat. Sin præter naturam excernitur, nisi ex eo tantùm dicatur, quòd intempestiuè, nec conuenienti modo, aut regione, alioqui noxium reiiciatur: vt vrina in diabete, quia est nimia perpetuò defluens, aut sudor multus in morborum principio manans, & sanguis acrior, serosiue è naribus stillans: hîc duo consideranda occurrunt, Alterum est, actionis immodicus, aut depravatus motus: Alterum, eius quod excernitur vitium. Illud quò pertineat, ex superioribus est manifestissimum: hoc verò de excernendis esse putamus, cùm talia sint, quæcunque vel quantitatis, vel qualitatis nomine, aut toto genere, totâve substantia improbantur: vt non sit aliud excernendum, quàm excrementum.

tum, siue (vt Aristotelis imitatione loquitur Galen.) περίττωμα. Atque si talia reiiciantur, quo tempore, & modo conuenientius est, symptoma vocare nó audeam expulsionem ipsam: cùm hæc eadem planè ratione in sanis sollicitetur. At materiam qualis insanis contineri non debet, cùm ea sit præter naturam, ad symptoma referendam puto, quia ex morbi natura pendet, & excitatur, si tamen laudabilis materiæ nimiam quantitatem excipias, vt πολυαιμίαν: reliqua enim ex intemperie ortum habere videntur. Itaque non sola horum cohibitio excrementorúmve detentio Symptoma dici meretur, quod ad actionem labefactatam sit referendum: sed etiam excrementa ipsa, quæ præter naturam aceruantur, quibus solis tertium symptomatis genus conuenire potest: ab hoc siquidem cætera omnia præcedens ratiocinatio excluſit. Porrò iis quæ absolutè excrementa non dicuntur, vt cibus malè confectus in febricitantibus, & improbus sanguis iisdem genitus, aliud genus symptomatis assignandum esse non recipio. Quandoquidem etsi prorsus reiicienda non sunt, tamen ea portione, qua corruptelam sustinent, excrementa dici merentur, & aliquando reiicienda erunt: postquam scilicet à lau-

Contra Argent.



dabili parte segregata negotium contentrici facessent. Neque ab illis seiungi debent, quæ humoris naturam non præ se ferunt, vt calculi, vermes, catro spongiosa, & quæcũque in apostematis crassa, & terrena offenduntur. Siquidem excrementum non definitur, quod sit humor vel substantia liquida: sed tantùm, quia est περίττωμα, alioqui fæces aluiis induratæ excrementa non essent. Hæc verò à morbis statim non prodire, sed ad actionis alicuius læsionem sequi (vt antea monuimus) certissimum est. Nam excrementa proueniunt ab assimilatione vitia tæ: retinentur verò excretricis ,contentricis, aut etiam alicuius partis attractricis vitio. Huic autem symptomatum generi non tertius locus, sed secũdus potiùs debetur, quoniam circa opera versatur, quę ab actionibus mox contemplari solent. Qualitates verò, vt accidentia quædam, licet non in ipsis operibus, sed partibus corporis eas contemplemur, posteriore loco recensere decet. Ergo vt tandem hanc nostram de symptomatum differentia sententiam in breue compendium redigamus, symptomatum triplex est genus. Primùm, & à morbo immediatè pendens, in actionum læsione consistit. Alterum in operibus. Tertium in qualitatibus corporis præter naturam mutatis.

Universidad de Deusto Biblioteca



In actionibus autem sextuplex noxa reperitur: nempe abolitio, diminutio, auctio, deprauatio, dolor, atque voluptas: Operum nomine excrementa hic denoto, quæ ab actionum vitio proueniunt, & retinētur. Ea sunt triplicia: aut enim qualitate sola, aut quantitate, aut tota substātia peccāt. Et qualitas quidē indecens excrementum esse facit, quod alioqui laudabilis esset humor. vt quando mutatur præter naturam color, odor, sapor, vel consistentia. Quantitas diminuta excrementum non deffinit, sed solùm adaucta. Id verò genere ipso, vel tota substantia excrementum dicimus, quod formam prorsus ineptam sortitū est, & cui in corpore sano nihil simile reperitur: vt vermes, calculi, verrucæ, atque similia. Nam quod maximè conuenientem speciem habet, & est corpori necessariū, vt sanguis, quando excernitur, tota substantia præter naturam excrementum vocare, quemadmodum facit Galenus, maximam parit confusionem: cùm quòd de actione dicendum est, ipsi materiæ attribuit. Postremò qualitates mutatas duplices constituo: alias humorum, alias corporis. & humorum quidem mutatę qualitates faciūt quædam esse excrementa, vt iam diximus. Corporis verò qualitates alię sunt, ἐν τῷ γίγνεσθαι, aliæ ἐν διαθέσει. Affectus corporis



poris appellant, qualitates omnes secundas, præter asperitatem, densitatemque, & his cōtrarias: necnon tertias, exceptis audibilibus. Hæ siquidem ἐν τῷ γίγνεσθαι, essentia constitutam habere videntur.

* *
*

Universidad de Deusto
Biblioteca



# LAVR. IOBERTI VALENTINI DELPHINATIS,

## De essentia & causis conuultionis.

*Conuulsionem esse motum depraua tum: neque ad inanitionẽ & repletionem proximè sequi.*

DE conuulsionis natura & essentia primò conueniẽdum, ne cõuulsionis nomine alia supponantur quibus illius diffinitio non competat. Conuulsio est retractio contractióve præter naturã facta: non quarumuis partium nostri corporis, sed neruorũ simul & musculorum quibus illi inseruntur. Hæc motionis voluntariæ organa sunt, quæ non à seipsis, sed à cerebro mouentur. Itaque cum cerebro continuitatẽ habeant, veluti habenæ, necesse est. Conuulsio autem à voluntaria motione (quæ etiam fit agentis musculi contractione, & oppositi relaxatione ac quiete, vt docet Gal. lib. 1. de motu musc.) differt hoc tantùm, quod præter voluntatem fiat. alioqui enim planè conueniunt, vt docet Gal. lib. 3. loc. aff. cap. 5. com. in apho. 39. li. 6. & com. 1. in libr. 3. epid. part. 4. & com. 42. in lib. 3. de fract. Quòd si verè dixit, idem erit efficiens, eadem motus species & forma, ad eundem finem seu locum mutatio, idemque subiectum & instrumentum, vt certè sunt. Sola est præter naturã res, quæ inuoluntariè facultatem motricem agere cogit: quemadmodum in risu, qui etiam conuulsionis speciem exhibet, quum nolentibus fiat, vi motrice ab obiecto coacta. Porrò idem esse subiectum & instrumentum, nempe neruum aut musculum, in confesso habetur. Eadem quoque motus forma, vt & finis, quum seu voluntariè seu inuoluntariè agitati musculi versus principium suum reflectantur contractione quadam. Efficiens seu mouens causa, in controuersiam venire potest, quum non semel scripserit Gal. lib. 2. de sympt. causis, solius morbi symptoma esse conuulsionem, vt & palpitationẽ, & paralysin. Quòd si verùm est, à voluntaria motione hoc tantùm non differt (vt alibi docet) quòd inuoluntariè fiat, sed multò magis quia nullius facultates actione contingit. vnde non minus conueniet vnguibus, & aliis quæ voluntariæ motionis instrumenta nõ sunt, quàm ner-

uis

*Quid sit cõuulsio, & quarum partium.*

*Quid differat à motu voluntario.*

*Efficiens vel excitãs causa.*

uis aut musculis: & de inanimatis quoq; dici poterit, vt chordis lyrarũ, ꝙ etiã vel le videtur Ga. Ad hęc, si facultas lacessita nõ agit, cur in cõuulsione cerebrũ versus, (quò .s. nata est solitaq; vis motrix, vnde prodit flectere partẽ) potiùs q̃ in contra riũ locũ fit retractio ! Nã fides musicorũ instrumẽtorũ quæ contractę rũpuntur, in neutram partem inclinant magis, ꝙ nullum habeant principium, nec ab vlla facultate irritata moueantur. Præterea, si solius morbi symptoma est conuulsio, (nẽpe humore vel siccitate lõgitudinem minuẽte & contrahente, non etiam facultate irritata mouente) Epilepsia non fiet irritata vi cerebri, sed eo tantũ arefacto, aut multo humore imbuto, indeque contractiore facto: quod non recipit Galenus. Ergo non omnis conuulsio est solius morbi symptoma: aut Epilepsia conuulsio non est. Ex his colligas, sibiipsi pugnãtia dicere Gal. qui sæpius admoneat conuulsionẽ à volũtaria motione hoc tãtùm differre, ꝙ præter voluntatẽ fiat: aliàs verò statuat, solius morbi symptoma esse: quod Epilepsiæ nullo modo competit, vt nec vlli cõuulsioni alteri. Est enim ἰδίωμα vnicũ, à re præter naturam & molesta, ꝙ conuulsionẽ à voluntaria motione distinguit, illamq; velut causa sine qua nõ prior, piùs excitat. & quia quæ præter naturam



sunt, adeoq; infesta, magis q̃ voluntas cogunt & vrgent: inde fit vt cõuulsorii motus sint longè robustiores voluntariis, vt etiam Gal. ait cõm. 26. in li. 3. prorrh. perinde ac phrenitici, à quibus etiam vt plurimùm illi accidere solent.

*Differẽtia cõuulsionis duæ.*

Duas cõuulsionis omnis species esse notari dicũt, aliã in motione, aliã in quiete. Quies verò duplex est. s. vera, & apparens tantaxat, vt in βαρυκοΐᾳ motu, ꝙ abũdè explicauit Gal. lib. 1. de motu musc. li. de trem. pal. rig. & cõuuls. cap. vlt. & li. 2. de sympt. cau. ca. 2. Hic aũt status (vt proximè citato loco ait) interim mot', interim immobilitas dici potest. nã si consulas sensum, quies esse videbitur: ratio tamẽ dictat, motũ esse, quũ musculi vel maximo robore agant, musculorũ verò actio, motus sit, ꝙ Gal. abũdè explicauit li. 1. de eorũ motu. Atq; eiusmodi affectũ cùm vi morbi accidit, conuulsionẽ esse agnosco, & τίτανον ex ea occasione à Grȩcis appellari, aliãverò nullã, nisi apert' sit motus qualis esse debet q̃diu fit cõuulsio, nisi ex vtraq; parte cõtentio sit. vnde Gal. li. 2. de sympt. cau. inox à citata sententia cõcludit, conuulsionẽ & motũ voluntariũ nullo pacto ad immobilitatẽ referri debere. Sed idẽ quoque ratio docet. Cõuulsio motu definitur: Atqui mot' in fluxu est, & ἐν τῷ γίνεσθαι essentiã cõstitutã habet, eiusq; nullæ partes simul esse possũt, & nihil post se factũ

(quod quidem motus, ceu pars eius, dici queat) relinquit. Igitur nec conuulsio vlla est dicenda permanens, fixa, stabilis, cō firmata, & absoluta, quòd totum omnino effectum compleuerit. Rigida manens pars, iam non contrahitur, sed contracta manet, quod conuulsioni pati dici nequit. Eadem quippe rigiditas in defuncto corpore erit, quòd nefas est motum exercere posse, contendere. Motum dico eum qui à musculis & neruis fieri solet, versus principium sese retrahētibus. quū si arefactis cadaueribus acciderint neruorum & tendinum contractiones (vt nō rarò obseruamus apertis sepulchris) ea non magis in hanc quàm illam partē vergant: haud aliter quàm ligamenta, venæ, & arteriæ. Quinimò eadem hîc ratio est, quæ in chordis seu fidibus lyrarum: quas tamen verè dictam conuulsionem (vt ante à definiuimus) pati nequaquam dixeris. Ergo quæ mortis interuentu non cessat contractio, Rigiditas non conuulsio dici meretur. Hæc ex Gale. quoq; verbis inferre licet, dum ait lib. de trem. palp. conuulſ. & rigore, cap. 5. circa finem, In mortuis nihil passi sunt aut nerui, aut musculi, quos Herophilus & Praxagoras æstimant affectiones pati, sed deficit motus omnis subitò, vnà cum anima, &c. Nec conuulsionem esse putandum est, musculi



musculi iustam contractionem à qua fit membri immobilitas, quia oppositus musculus aut neruus ei insertus agere nequit, paralysi affectus, aut dissectus. Quippe (vt rectè docet Galen. libr. 1. de motu muscu.) immotus manet qui est integer musculus, vbi suam contractionem semel absoluit. Membri enim motio alternatim agentibus musculis oppositis fit. Proinde musculus qui contractus manet, eo quem diximus modo, sanus est atque immobilis: tantùm abest vt conuulsione laboret. Quod tamen vulgò creditur qui etiam cōuulsionē temerè appellat, membri rigiditatem ex vnius aut plurium oppositorum musculorum præcisione. Sic conuulsionem caninā vel doctiores medici ex veterum imitatione, perperā vocant, Barbaris Torturam oris appellatam: affectum planè diuersum ab eo qui Sardonius risus dicitur, ex musculorum buccas & maxillam inferiorem mouentium vtrinque facta violenta contractione. Oris verò tortura nihil nisi, &c. paralysis est lateris ei oppositi, quod modicè retractum, conuulsionem pati creditur. Id argutè annotauit Aëtius lib 6. cap. 30. vbi inquit: Caninam conuulsionem vocant, mandibularium musculorum παρέλυσιν. Distorquetur igitur in obliquum os, & nasus, & oculus, & (in summa) dimidia

„ dia facici pars . Auxilia itaque resolutæ
„ parti adhibeantur, non oppositæ. Decipi
„ untur enim aliqui, qui mādibulam ab op
„ posita parte σπᾶσθαι conuelli putant. Sic &
„ Paulus Aegineta, li. 3. ca. 18. inter particu
„ lares resolutiones Spasmum cynicum re
censet. Hinc facilè dubiū soluitur, quod
nostros Chirurgos pessimè torquet: qui
fiat vt (quod ex Auic. annotauit Guido
in progn. fracturæ cranii) in vulnerib⁹ ca
pitis peruenientibus ad panniculum ce
rebri, accidat resolutio in latere vulne
ris & spasmus in oppositō. Scilicet cani
num falsò vocatū spasmū significant, vul
nerato cranio accidere solitum, excre
mentis in partem affectam decumbenti
bus: vnde vera huius παράλυσιν, & illius fal
sa spasmi phantasia. Eiusmodi quoque es
se puto τρισμὸν, quem ad conuulsionem
refert Gal. cap. 2. li. 2. de sympt. causis. Est
enim quorundam oculi musculorum laxi
tas & mollities huius affectus causa, ob
idque infantib⁹ & puerulis magna ex par
te accidit, natura molliorib. Etsi non ne
garim ex conuulsione quoque fieri ocu
lorum conuersionem incertam inuitāq;,
vt ita epileptico insultu videmus. At stra
bismus ex infantiæ primordiis, contra
ctus, inconstantia aut infirmitate quorun
dam musculorum fit, qui p̄ laxitate oppo
sitis non contranituntur. vnde quò firmi⁹ ma



magisq; inconniuētibus oculis ꝙ inspici
tur, eò magis accidit contorsio.

Iam satis superq; demonstrata videtur
conuulsionis propriè dictæ natura: cuius
essentia in motu est, à voluntario hoc tan
tùm differens ꝙ inuitis fiat, vi tamen ani
mali (quæ motrix πρὸς ὄρεξιν dicitur) laces
sita & coacta.

Supereſt vt quæstionis propositæ alte
ram partem aggrediamur, & quę nam sint
causæ excitantes conuulsionē, vel potius
vim motricem præter naturam & volun
tatem cogant ad actionē, demonstremus.
*Ego vnicam statuo, punctionem, mordi
cationem, vellicationem, aut arrosio
nem, quæ ad continui solutionem haud
dubiè refertur, vt morbus à quo proxi
mè pendet. *Conuulsio fit quædam vni
tatis solutio in neruosis partib. quæ cæte
ris exactius sentiūt. Et quò partes sunt
delicatiori sensu p̄ditæ, eò grauior sequi
tur cōuulsio, vt vehemētissima sit stoma
cho lacessito, aut tenui meninge, in epile
psia. Tēdones minus apertè, q̄ musculorū
capita, & hæc minus q̄ nerui synceri nu
diq; sentiūt. ob id tardius multò tēdones
affecti q̄ musculorū capita. Cōuulsionē in
ferūt, & his citius nerui. Porrò vt cerebrò
etiā affect⁹ cōmunicetur, oīnò videtur ne
cessariū: quū p̄dictę partes sæpe multo tē
pore eiusmodi noxā sustineāt, à qua tamē
nō

*Ob id conuulsio doloris plena est affectio, vt dixit Gal. cōm. 20. in lib. 2. prorrh.

*Id colligo ex Gal. cō. in ca. 7. lib. 1. prog. cō. in apho. 2. li. 5. vbi annota verā & falsam cōuulsionē proponi, hanc quæ sit tantùm rigiditas cum tumore p̄ter naturā illam affecto principio. cō. 36. in lib. 3. prog. cōm. 28. in lib. 3. prorrh. com. 11. in li. 1. prrh.

non prius accidit conuulsio, quàm idem patiatur Cerebrum. Itaque si ineuitabilis hæc fuerit, aut talis quæ nulli cedat remedio, suadet Galen. lib. 4. meth. transuersum abscindere neruum, musculum, aut tendinem. Sic enim soluta ea continuatione, quã cũ cerebro pars habebat, cessat conuulsio Ea verò quam infert os ventriculi superius lacessitũ, nó prius desinit quàm euacuata materia, cerebrum irritari desinat. Atque eiusmodi conuulsiones per συμπάθειαν fieri dicuntur, quia morbi causa aliunde originem ducit. Διαπαθὴς verò tantùm laborat cerebrum in Epilepsia, quæ vniuersalis est conuulsio. *Cæterùm continui solutionem innehunt acria & pungentia: vt ex humoribus bilis tum flaua, tum atra, & quæ lancinant punguntur neruosis partibus incidentia, vt ossium acuta frusta, acus perforans, & similia tam externa quàm interna: quæ quoties neruos lacessunt, eamq; læsionem persentit cerebrum, conuulsio excitari solet. Hippocrates omnia ad repletionem & inanitionem retulit, non proximas & immediatas causas recensens (neque enim accuratiùs αἰτιολογίαν tractauit de prædictionibus & remediis prę cipuè solicitus) sed remotiores: quippe hi morbi non sunt: conuulsio autem, vt quæ symptoma dicatur, ad aliquem morbum

*Nõ tamẽ est necesse, communis neruorum origine affecta, vniuersum corpus omnino cõuelli: sed alias quidem alia pars duntaxat hoc patitur, vt quaq; magis afficitur, aut aliqua ratione est imbecillior quod Gal. eleganter docuit cõ. in ca. 7. l. 1. progn.



bum proximè sequitur. Inanitio autem plærumque aliquot interuallis præcedit conuulsionem: scilicet ab ea reddũtur acriores humores, quò pauciores remanent, quum in sicciore subiecto calorfiat acrior, vt docet Gal. com. in apho. 14. lib. 1. Sic per vigilias biliosiorem euadere sanguinem, docet idem comm. in aph. 18. lib. 7. quo ait Hippo. ex vigiliis conuulsio, vel desipientia, malum. Idem efficit inedia, æstus maximus, & febris ardens. Ex vulnere & sanguinis profluuio, bilis (cuius frenum sanguis dici solet) ferocit magis. Valentius medicamentum omnino calefacit, & humores qui non educuntur multò acriores reddit: vt non rarò febris inde sequatur, præsertim sub cane & ante canem, vt ex Hippo. docet Galen. in aph. 5. lib. 4. Quòd si vomitorium fuerit medicamentum, qualis est elleborus albus, tunc maximè conuulsionem inferet, quando vomitu vehemẽtius excitato vẽtri os vellicari contigerit, vt idem Gale. annotat in apho. 1. li. 5. Quæ igitur ad inanitionem referuntur causæ, omnes conuulsionem ex eo concitant, quòd irritamentum ad punctionem mordicationémve ingenerent. Id verò si quis repletionem veluti quandam esse velit, quia neruos subit quantumuis exigua tenuisque materies, per nos quidem liceat: vt alte-

ra ex cauſis ab Hippocrate aſsignatis al
teram propiùs inferat, nempe inanitio
repletionem, tametſi repletionis nomi-
ne indigna videatur, quæ non infarcit, di
ſtenditque ſua mole, vel omnino meatus
occupat. Inanitionem verò quia exiccat
& arefacit, conuulſionis proximam eſſe
1. cauſam, fateri non poſſum his rationibus
maximè impulſus. Primùm quòd ſoleat
conuulſio affatim irruëre, & turbulẽtum
quendam motum excitare. Ab ariditate
verò & euacuatione fieri nequit ſubita cõ-
motio, vt de Epilepſia rectè dixit Gal. li.
3. loc. aff. cap. 5. Etenim breui tempore fie
ri non poteſt, vt neruus ad tantam perue
niat ariditatem, vt corio ſimile quippiam
2. pati videatur. Sed cur ſi ab ingenti exic-
catione cõuulſio fit, qui hectica febre ab
ſumuntur, omnes in conuulſionẽ non inci
dunt? Nunquid maior eſt p cauſos exicca
tio, vt inſignior eſt calor, q̃ in poſtrema
hectica? Nõ opinor, quũ hæc prorſus in-
curabilis ſit, q̃ tantã humidi abſumptio-
nẽ reſarcire nõ detur: hæc deſinẽte febre
» nõ maneat, aut facilè emẽdari poſsit. An
» melius reſpõdet Arculan' in li. 9. Rhaſis,
» ad Almãſ. c. 12. in hectica ſiccitatẽ eſſe vni
» formẽ & ferè æqualẽ p totã nerui ſubſtã
» tiã, ex eo q̃ inducta eſt paulatine. Illa ve-
» rò q̃ facit ſpaſmũ (inquit) non eſt vnifor-
» mis p totũ, nec æqualis in toto neruo ex



eo q̃ ab agẽte violẽto in paruo tẽpore in »
ducta eſt: vnde magis exiccatur vna pars »
nerui q̃ altera. Fit ergo cõtractio & appli »
catio in partẽ minus exiccatã (ſic. n. legẽ »
dũ puto) ſicut in corio, pecto ſup prunas »
fit cõtractio vna parte magis exiccata q̃ »
altera: vbi ſi in ſole aut in loco calido diu »
ſteriſſet, & multũ fuiſſet exiccatum, non »
fuiſſet contractum: ſicut & lateres cùm co »
quuntur in fornace, ab igne dulci nõ tor »
quentur: ſed ab igne nimis forti contor- »
quentur. Hæc Arculanus, quibus non pla
nè aſſentior; nam quod de inæqualitate
ait, nihil probat. Siquidem quò pluribus
partibus exiccari cõtinget, eò cõtractius
fiet lorum. Atqui per hectică non aliqui-
bus tantùm locis nerui extremam ficci-
tatẽ patiũtur, ſed ex æquo omnib'. Et mu
ſicorũ inſtrumentorũ chordas in arido &
ſquallẽte cubiculo æqualiter exiccari pu
tamus, eoq; diſrũpi citiùs q̃ ſi aliquot tã
tũ punctis ariditas cõtingeret, vt filum à
plurib. nodis breuius redditur: atq; ſi to-
tũ nodis intorqueatur, fiet breuiſsimum.
De corrugatione, verò q̃ ait, hoc eſt inę-
quali cõtractiõe, verũ eſt ad inęqualẽ aut
ſubitã humidi abſumptionẽ ſequi. Atta-
men quę eo dẽ agente ſenſim fiat (ſiquidẽ
ab immodico & excellẽti agẽte fieri poſ
ſit) non minor, imò verò maior erit con-
tractio: pluribus ſcilicet vel omnibus

particulis tantam ariditatem æqualiter patientib. An potius dicendũ, si hanc inæqualitatẽ retinere velis, ab ea quia molesta est, vim expultricem quodammodo excitari atque inde fieri conuulsionem? Aequalis verò siccitas aut caliditas in hecticis nullo penitus dolore afficit, quia velut acquisititia quędam natura est. Sic tutsim ab inæquali intemperie nonnunquam accidere, docet Gal. libro secundo de sympt. causis, cap. 4. in fine. Et in vniuersum, quando in corpore quopiam sentiendi vi prędito in æqualis suboritur intemperies, quanta fuerit intemperantiæ magnitudo, tantam quoque futuram esse molestiam, pronunciat. Est igitur tristis ea sensatio, ex quadam velut diuulsione excitata, proxima conuulsionis causa, nõ ariditas. In hecticis verò quòd sensim ei sint assueti, non facit dolorem. huius etenim causa vt κόρος incidat, est necesse, quod abundè Galenus explicauit li. 1. de sympt. causis. Mihi tamen placet magis, causam eius conuulsionis quæ phrenitidem & ardentissimas febres comitari solet, ad humorum acrimoniam & lancinatum referre, quàm ad solutionem continui ex ariditate factam: cum in viuentis partis neruo tantam accidere posse, non consitear. Hisce rationibus, quæ satis demonstrant, conuulsionem minimè accidere



dere ex neruorum exiccatione apparet, addo quòd quicunque affectus inde nascatur, planè incurabilis etiam in defunctio perseuerabit: Rigiditas inquam extuſtione, aut insigni alia resiccatione contracta. Atqui motum qui per neruos & musculos obeatur, (id verò est de cõuulsionis natura) etiam mortuis adesse, omnino videtur absurdum, vt antea monuimus. Neque obstat quod obiici potest, affectus quàm plurimos mortuis quoque superesse, vlcera, mutilationes, deprauatas figuras, obstructiones, apostemata, vermes, calculos, &(quæ mortis causa est si potuit) frigidam intemperiem multò magis adauctam: quum tamẽ sit nefas dicere: hos iam esse morbos, quippe sanitas & morbus viuentis passiones definiuntur. An longè diuersa est ratio, eorum quæ morbi dicuntur, & quæ sympto mata nostri vocant: vt illi omnes sint διαθέσεις vel ἕξεις, horum verò plurima παθημάτων genere contineantur. Huiusmodi sunt dolor, motus, & actiones omnes, quę τὴν γίνεσθαι essentiam cõstitutam habẽt. Itaque sunt quandiu fiunt, non deinceps, vt de motu superius dictum est. Quæ verò ex symptomatis affectus dici merentur, quòd permanentiam habeant, vt qualitatis partium corporis mutatæ, in cadaueribus etiam perseuerant: non tamen

Universidad de Deusto
Biblioteca



iam ſymptomatum rationem habent, vt
neque vlcera morbi ſunt appellandi, niſi
æquiuocè, haud ſecus ac mortuus homo
dicitur. Ergo (vt tandem putatam hanc
cauſam à conuulſionis generatione able
gemus) ſiccitas, vel inanitio ex ſeipſa pro
ximeq; veram conuulſionem non ſuſci-
tat, ſed quæ rigiditas potius dicenda ſit
immobilitati coniunctam affectionem.
Repletionem verò ex pituitoſo humo-
re, quam ſupponit Galenus, cõuulſionem
efficere poſſe non video, ſed potius παράλυσιν
contrarium planè affectum. Quòd
enim diſtinguunt noſtri, ex craſſiore qui
dem humore fieri conuulſionem, ex li-
quidiore verò παράλυσιν, mihi non placet:
quum pituita quæcunque neruos præter
naturam ſubeat copioſior, iis mollitiem
& laxitatem impartiatur. Neque admit-
tendum puto quod Galenus facit diſcri-
men, pituitam quæ conuulſionem infert
craſſiorem eſſe, quàm vt tenuiores ner-
ui poros penetrare queat: itaque latio-
res duntaxat occupare, & inde fieri vt a-
nimali ſpiritui aliquæ pateant viæ, qui-
bus exceptus ſenſum exercere poteſt.
Quod figmentum iis imponat, qui ne-
ſciunt poros omnes in neruis eſſe per-
quàm occultos, & nullos vel acutiſſimo
viſui patere. Quò fit vt craſſiorem pitui-
tam



tam non admittant: aut ſi ab ea occupen-
tur, haud dubiè & paralyſis accidet ex
nerui obſtructione vocata, vt etiã fit quo
ties humor neruis ſuccreuit paulatim cõ
gestus, & ſcirrhoſum tumoré infert, ſiue
exteriùs tantùm comprimat, ſiue interi-
or ſit. Adde quòd quicunque neruos
ſubire potuit extrinſecus humor, inter-
na omnia ſpatia multò facilius permea-
bit. Quod ſi à cerebro, vel ſpinali medul-
la, in neruorum capita fuerit tranſmiſ-
ſus: quid aliud quàm obſtructionem craſ
ſior humor inducet: ab eaque paralyſin,
aut (ſi minor ea fuerit) ſtuporem? Sin
verò tenuior liquidiórve per totum ner
uum effundatur, præ laxitate & molli-
tie, quam nimia irrigatio fecit, non
breuior, ſed longior euadit neruus: e-
ritque παράλυσις, motu potius quàm ſen-
ſu labefactato: quia tametſi ſpiritus in-
fluere non deſinat, tamen ineptæ ſunt
habenæ iuſtò madentiores, neque oſ-
ſa transferre poſſunt: quod infantibus
quoque ex natiua, ſalubrique humidi-
tate & mollitie accidit. Cur verò non
contrahantur breuioresque fiant ner-
ui madore nimio imbuti, vt chorda mu-
ſicorum inſtrumentorum (qua compa-
ratione paſsim Galenus vtitur) cauſam
eſſe puto, quia nerui & muſculi ab oſsib⁹

appensis trahuntur, & per initia saltem ægroti partem mouere alterius partis auxilio nituntur. atque ex ea contestatione suspensioneque accidit, vt laxior lôgior euadat neruus. Sic qui lora vel chordas madentes contrectabit, longiores efficiet. Sin quietas sinat, tumefactæ contrahentur. Eodem planè modo, & paralytica membra tandem breuiora sanis euadunt, non quia defectus est alimenti, sed quòd in nimio ocio torpentia non agitétur. Iam si quis velit aliud comminisci, nimirum à crasso & viscido humore non planè infarcto, sed mobili & subitariam obstructionem faciente, fieri posse convulsionem, vt Galenus de Epilepsia (quæ huius species est) refert, scilicet impediente humore, spiritum animalem quominus progrediatur, & ex eo partem irritari vt excellat rem noxiam, vnde fiat conuulsio: Galeno aliter & verè hoc explicanti, contradicet. Hic enim libro secundo de sympt. causis, cap. * tremoris causas inquirens, apertè docet crassos lé tosque humores facultatis meatus obstruentes ita vt exigua influat, tremorem

Lib. 3. loc. aff. cap. 5.

" efficere posse: idque maximè vbi exactè
" obstruunt & paralysi afficiunt aliquorũ
" neruorum partes quasdam. sic enim reli-
" quæ fibræ non satis validè musculum pos-
" sunt intendere. Etenim (inquit) vbi humores



mores obstruentes facultatis per neruos meatum, non in totũ fuerint infixi, adeò vt per violentas virium incursiones post fint adhuc & concuti & commoueri, huiusmodi fiunt motus, quales antea incipiente παροξυσμῷ nonnunquam accidere diximus. Attollitur enim aliquando membrum, sed ilicò concidit. Nam per facultatis inuasiones, quum ipsa se vehementius & excitat, & cogit, succi qui neruos obstruunt excutiuntur, ac membrum mouetur. Rursum humoribus quos excusserat in priorem locum refluentibus, concidit & iacet immotum, donec facultas turſus confertim irruens disiparit humores qui ipsius meatus occupauerant. Quibus sanè verbis sat innuit, propositã causam nihil aliud quàm tremorem, aut stuporem inferre posse, aut (si contumacior est humor, & non cedat) paralysin, quæ conuulsioni planè aduersatur. Quin imò à prædictis causis excitatã paraplegiam, superueniente conuulsione iuuari, author est Gal. com. 26. in lib. 3. prorrh. nempe ex conuulsione agitatio facta, sensibiliorem ad motus expeditiorem partem reddit. Nihilominus tamen epilepticos insultus ex eo vt plurimum accidere arbitror: quando scilicet crassior aliquis humor cerebri meatus per quos expurgari solet, occuparit: qui etiam repetunt

subinde

subinde in nonnullis, quum vapor aliáve prætenuis & acris materia cerebrum lacessens, impetu quodam à cerebro in seipsum contracto per os vel nares libere non reiicitur, sed discisso & vi quadam penetrato humore eo qui meatus occupauerat: Hic enim non multò pòst sese re colligat, & succrescat vapor cerebrũ vellicans, alter fit insultus. Atque id frequentius fieri perseuerat, donec aut cerebrũ irritari desinat, aut crassior ille humor planè deturbatus expurgatusque fuerit.

*Cur pueri sint conuulsionib. multùm obnoxii.*

Idcircò muccosæ naris animalib. & infantib' qui mũgere nares nesciunt, valde familiaris vertigo & epilepsia: cui propertione quadam respondere arbitror iternutamentum. Porrò id neruis conuenire non potest, quod de cerebro nunc expli cauimus: quum ii canales per quos expurgentur, non habeant. Nulla itaque ratione, quam saltem excogitare queam, fieri posse iudico, vt crassior, viscidior, atque adeò ptiuitosus humor, aut melancholicus ex sese veram conuulsionem producat. Nam rigiditatem quæ ex scirrho, aut alio tumore præter naturam accidit, & in mortuis quoque perseuerat, legitimã conuulsionem non esse, ex superioribus facilè quis colligat. Nec quæ ab ingenti frigore contracta sit congelatio & rigor, quem affectũ veriùs dicas πάγος vel



πῆξιν, quàm conuulsionem, quum nulla sit in eo motio, nec aperta, nec occulta vt in tetano: alioqui in cadaueribus non permaneret, quod tamen Alpes niuosas incantè petentibus haud rarò cõtigisse experientia docet. Nec me mouet quod Gal. eum appellatione dignetur emprosthotonon, episthotonon, tetanon, & congelationem vocitans, cap. 5. lib. de differ. morbo. Cui sanè illud maximè conuenit ab Hipp. pronuntiatum aph. 57. lib. 4. Qui à cõuulsione, aut tetano detinetur, febre superueniente liberatur. Et aphor. vigesimo sexto libri secundi, Febrem cõuulsioni superuenire melius est. Quod verò subiũgit, Febrẽ cõuulsioni succedere malum, de vera conuulsione (qualem antea definimus) interpretari debet. Prior enim affectus, scilicet ex congelatione rigiditas, aut febre superueniente quã cutis cõstipatio excitare potuit, aut assum ptis valde calfacientibus, vt Anacardina confectione, discutitur: à quibus propriè dicta conuulsio grauior multò cuaderet. Quid quòd eiusmodi rigiditatem mortuã non aliter quàm viuentia, & ipsa quoque inanimata perpetiuntur, vt madetia sintea? Neque iis facilè assentior qui congelationem hanc referri posse putãt ad vtramq; putatã conuulsionis causam, repletionem scilicet & inanitionẽ. Nam

quòd

quòd ad repletionẽ attinet, hîc nulla esse videtur, quum is duntaxat humor qui neruis est familiaris & insitus vnà cũ nerui substantia, congelationem atque rigiditatem patiatur. Quid enim est necesse vt hoc fiat, humorem ex vicinis partibus cò exprimi, quum externæ res nullius humoris appulsu ab ingenti frigore non aliter congelentur & rigeantur? Neq; inanitionem eodem frigore neruos comprimente fieri video. alioqui solis calefacientibus, vt ignis vicinia, & loci tepiditate non discuteretur. Hæc enim magis inaniunt quàm repleant: eoque non possunt affectui ex inanitione contracto mederi.

Hactenus conuulsionis proximas causas nõ esse vel repletionem effatu dignã, vel ab humore crasso, aut inanitionẽ aridítatémve, satis (ni fallor) demonstrauimus: & affectibus qui tales habẽt causas, spasmi rationem haud conuenire posse. In quo certè negotio licet obseruare id esse verisimum quod ait Galenus circa finem lib. 1. de sympt. causis, quæ sit absoluta causa morbi à quo partes conuelluntur, esse difficile dictu. Atque magis mirror, quum hoc animaduertisset, qui tam oscitanter rem definierit, sibiipsi apertè contradicens, nec propriis insistat principiis. Addam nonnulla quæ etsi minus necessariò doceant, tamen prædicta vtcunque



que possunt confirmare. Singultum à cõuulsione loco duntaxat differre vult Galenus in aph. 39. lib. 6. & apho. 3. lib. 7. pasſimq; pronuntiat, qualis pasio est musculis conuulsio, talem esse singultum stomacho. Et Hippocrates aph. 39. lib. 6. apertè pronuntiat, easdem esse causas singultus & conuulsionis. Atqui nemo vnquam suspicabitur, ad mouendum singultum requiri ipsius ventriculi ariditatem, qua velut membrana ad ignem contrahatur: aut humorem viscidum & crassum tunicas implentem, quo tumefactæ pluriũ denſentur, & crassescant, vẽtriculus verò multò angustior euadat. Quin potius acrẽ mordacẽq; materiam, quę stomachũ, id est ventriculi superius os, lacesit, singultus causam esse constat, & à Gal. proditum fuit commentario in vltimò citatum apho. Quinimò lib. 3. loc. aff. cap. 7. conuulsionis causam omnem ad irritationem referre visus est, dum scribit: Quò minus mirandum est, si neruorum principium huiuscemodi motu concutiatur, vt à se expellat quicquid fuerit id q; à parte primò affecta ad ipsum effertur. Ad hunc modum reliqua quoq; accidentia omnia quibus neruosum genus conuitur, fieri putauerim. Quod sanè est verisimum, nec epilepsiæ magis, quàm ceteris omnibus conuulsionibus accom

moda

Universidad de Deusto
Biblioteca



modari debet. Risus quoque, vt initio dictum est, conuulsionis speciem quãdam præ se fert: quippe inuitis etiam accidit, & musculorum est retractio versus propriam originem, & spiritum habèt offendentem cùm ad externa erumpit, vt de quadam conuulsionis specie ait Hipp. apho. 48. lib. 2. Hoc differt à morbosa conuulsione, quòd nihil corpus afficiat, sed mẽtem: res scilicet tristis miseratione tamẽ indigna, vt li. 1. de Risus causis docuimus. Quid verò quod vel inanitioni vel repletioni quadam saltem proportione respondeat, in risu obseruabimus?

Postremò quibus à rigore & tremore differat conuulsio, ne quid similiũ ac dissimilium prætermittatur, velut pro colophone, adiiciendum nobis est. Rigor dicitur totius corporis concussio, partib' quibuscunq; sentientibus, non tantũ neruis, acrimonia & punctione lacessitis, vel calore à corde influere solito desertis, idque affatim. In quo affectu nulla est cerebrum versus contractio, quin potius affectæ partes ad membri cuiusq; veluti centrum resiliuit, intruduntur, reprimũtur, & confugiunt. Inuoluntarius autem alio qui & violentus est motus, quemadmodũ in conuulsione. Tremor verò sine voluntatis assensu vel imperio fieri nequit, vt rectè docuit Gal. lib. 2. de sympt. caus. ca. 2. neq;



2. neq; per tremorẽ maior fit musculorũ contractio, quàm per sanitatem: sola est spirituum paucitas, quibus languidè facultas exercetur, patiturq; subinde contradictionem à membri grauitate, quam dum sufficiunt spiritus infinitis numeris superare consueuit, vt nulla omninò percipiatur. Ast in conuulsione quò minus spirituum copia effundatur, nihil obstat. & effunditur quidem, fitq; motus ac sensus (nisi mens laboret, vt in epilepsia) nec aliud quàm inuita & violẽta est agitatio, quæ immodicè corpus defatigat, dolorisque plena est affectio, vt rectè Gal. statuit com. 20. in lib. 2. prorrh.

Hæc candidè & liberè, candidis & liberis auditoribus suis dictabat L. IOVB. finiente anno 1566. quæ doctiorum proborũq; virorum censuram subire cupit: ne dum veritatis studio totus incumbit, erroneam sed fucatam & sophismatis inuolutam sententiam pertinacius tutari velle videatur.

* *
*

# DE CEREBRI AFFECTIBVS, DICTATVM A D. L. IOVBERTO NONAS MARTII, M.D.LVII. IN LIB. II. DE CAV. SYMP.

SYMPTOMATVM, quæ malè affecto cerebro solent accidere, quædā ad sensum communé, quædam ad rationalem animæ partē, vt vocat, refert Galenus: atque sensui communi accidere docet, soporosos affectus, κάρηϐ, κῶμα, λήθας &c. de quibus egit in fine præcedentis libri, explicatis sensuū particularium functionis læsæ causis. In huius verò calce, quæ principes functiones impediunt, causas inuestigauit. An multò facilius simul tradātur, quum eadem causa horum & illorum symptomatum esse possit? Id vt clarius intelligatur, ab ea intemperie quæ sanitatis ambitu continetur, exor-

t dium

Universidad de Deusto Biblioteca



dium summam, proposito veluti norma, homine tēperatissimi cerebri, cuius actiones omnes ex ęquo rectè fiunt, & tātum prudētissimus dicipotest: quod nō est excessus vitiosi nota. Qui verò calidiore est cerebro, is fuerit vigil, audacior, & temerarius, præcipitantiórque, & inconstans, memoria magis quam imaginatione valens. Frigidior somnolentus, ignauus, & timidus, hebes, non bene recordatur, & vix apprehendit. Humidior, huic assimilis est, nisi quod facilè cōcipit, sed vix recordatur. Siccior, vigil, cunctabundus, pertinax, astutus, & sagax, minus rectè apprehendit, sed fœlicissimè retinet. Iam si has intemperies componas, effectus erūt euidentiores, nisi tamen altera contradicat. Calidior enim sicciorque intemperies omnia reddit insigniora quàm calida. Cum humida verò calidior, vt ad meliorem temperiem magis accedit, sic meliores edit effectus. Frigidior, sicciórque ingenium durius facit, non tam imaginationem quam memoriam iuuat: somni autem & vigiliarum mediam conditionem infert. Humidior cum frigida, somnolentos admodum hebetes & ignauos facit, insulsi iudicii, & valdè obliuiosos. Quòd si humores quoque affuerint, compositarum intemperierum authores, bilis, sanguis, melancholicus humor, & pituita, erunt



runt hæc multò apertiora. Apertissima verò quum tantus fuerit excessus, vt superata sanitatis latitudine morbus iam inferatur, & insignia emergant τὰ νοσῶδη συμπτώματα, de quib' iam dicturi sumus, ab intemperie calida initio sumpto, quæ cerebrū vt partē similarem afficiat. Et primū quidē ex Galeni sententia, vt veráne sit, an falsa causarū assignatio intelligamus.

Quando cerebrū supramodū incaluerit, μανίαν gigni vult Gal. Eadem eodē autore sequitur humoris calidi & sicci (qualis præcipuè est bilis flaua) in cerebro exuperantiam. Si verò is humor inflammationem in cerebro, vel ipsius membranis pepererit φρενίτιδα inferre dicitur. παρα φρενίτις verò fuerit, vt idem statuit, calido & mordaci vapore cerebrum occupante aut eiusmodi succo illic abundante. Quibus planè assentiri non possum: quia si μανίαν flaua bilis excitat, non video quî à paraphrenitide distingui possit, vel eodem authore. Nā rectius docuit, Ferina deliramenta, hoc est μανίαν, esse à flaua bile præassata, quanuis eadem fieri possint ab vsto quouis humore, sed præcipuè melancholico & bilioso. Atque huiusmodi humores aut aliunde in cerebrum deriuant, aut in ipsomet gignuntur, quum videlicet internus cerebri calor flauam bilem aut crassum atrunque sanguinem a-

*Cap. vlti. lib. 2. de caus. sym.*

*Ibidem.*

*Lib. 3. loc. aff. cap. 5.*

Universidad de Deusto Biblioteca



Cap. 6. lib. 3. loc. affe. durit, vt idem scribit. Hinc fieri puto, vt μανία modò sine febre, modò febris assecla sit, non tamen eius causa, quòd idem a-
Cap. 5. lib. 3. loc. affe. pertè docuit, scilicet per consensum affecto cerebro, vaporibus atrabilariis per febres eiusdem generis ad cerebrum trãsmissis. Παραφρενῖτιδες verò omnes febrim vehementem sequuntur, & per σύμπαθειαν fiunt: vnde totâ febris duratione non perseuerant, nec æqualis sunt magnitudinis, sed desinente vigore quiescunt. Quòd si præter vaporem succus etiam calidus in cerebro abundet, per febres, nempe biliosus, non paraphrenitidem (opinor) vt putat Galenus, sed phrenitidem verâ, scilicet diutius permanentem, cerebro per ἰδιοπάθειαν laborante inducet. Quid enim est necesse vt inflãmationem pariat humor, quum vel sola præter naturam caliditas cerebrum afficiens, veram phreni-
Ca. 6. li. 3. tidẽ effi ciat, autore Paulo Aegineta? Ergo de his ἀφροσύνης differentiis calidam causam habentibus sic statuamus, veram phrenitidem accidere cerebro supra modum calefacto, vel humore bilioso in eo abundante solùm, vel inflãmationem efficiente, quas quidem affectiones perpetuò sequitur febris, corde mox ingẽtem caliditatem per consensum patiente. Nã etsi ad cordis refrigerationem superpositum non sit cerebrum, vt voluit Aristoteles



teles, rationi tamen consonum videtur, vt quoties ipsum æstuet, febrilis calor accendatur. Paraphrenetis verò fuerit omninò per cõsensum, multis ad cerebrum elatis vaporibus in febrium vigore. Μανία (hoc est furor, vel insania, quæ ad phrenitidem proximè accedit,) aliàs eodẽ modo fit quo paraphrenitis, & febres atrabilarias comitatur: aliàs cerebri ἰδιοπάθειαν est ab humoribus in eo vstionem patientibus, vel iam adassatis, & vstorũ velut cineribus ibidem relictis, aut aliunde confluentibus: estque cum intemperie cerebri calida prorsus, quũ vel in vsto planè humore ἐμπύρευμα supersit. Calorẽ immoderatũ arguit robur maximũ, vt in phreniticis, iuges vigiliæ & affectuũ incõstãtia nunc enim iracũdi, mox mitissimi fiunt, nunc hilares & ridẽtes, illicò mœsti & lachrymabundi, &c. Huius species est λοκανθρωπία. Cæterùm in eiusmodi affectibus omnibus mens laborat, quãuis Galenus velit phreniticorum nonnullos ratione valere, iisque solam imaginationem deprauari, vt de medico Theophilo narrat. Atqui φρενῖτιδος appellationi id prorsus contradicit: nec in cogitandi functione motus velut aberrans, & deprauatus esset quoduis delirium, vt idem statuit. Neque vrget quod ille scribit, Theophilum prudẽter alioqui disseruisse, & præsentes

Cap. 3. lib. de differ. sympt.

Ibidem.

exactè agnouisse, cùm id sit perquàm familiare fatuis & delirātibus, vt circa rem vnicam allucinentur & insaniant, de aliis non malè iudicent. Hæ sunt τῆς παραφροσύνης species à calida cerebri intemperie, vel simplici, vel composita & materiæ coniuncta procreatæ.

Præter eas est quæ frigidam sequitur μελαγχολίαν vocata, humoris qui eam facit nomine, scilicet quando fex sanguinis minimè vsta, aut eiusdem vapor totius cerebri temperiem peruertit, & mentem quasi obtenebrat, subdoléque imaginationes rationi deprauatæ occurrunt. Neque enim solius imaginationis vitium est, vt nonnulli arbitrantur, sed etiam cogitationis, haud secus ac ipsa phrenitis. Quippe, quid est perperam sentire, aut deprauato esse iudicio, si id non est, sine occasione tristari, atque timere? Adde quòd si vratur melancholicus humor, Melancholię succedet Mania, quam ob id Tralianus rectè definit melancholiæ intensionem ad maiorem feritatem. Atqui nemo negat in furore vtranque functionē labefactari, imaginationem videlicet & cogitationem. Quòd ad memoriam attinet, in nulla παραφροσύνης specie necessariò deperditur, aut insigniter labefactatur. Quin iamdiu præteritorum nonnulli optimè recordātur, & quæ oblita fuisse putes



tes (quāuis absq; ratione) cōmemorant. An quia ficciore cerebro sunt omnes qui παραφροσύνῃ aliqua laborant: siccitas verò memoriam confirmare videtur?

Porrò vt memoriæ deperditæ (qui vel teste Galeno, rarissimus est effectus) legitimam causam afferamus, & frigidæ intemperiei morbos iam inchoatos persequamur, nō placet quod idē statuit, obliuionē à frigore nasci, nisi hoc comitetur humiditas. Siquidē pituitosus omnino est humor, qui cerebrū immodicè humectās memorandi vim eneruat, vt eādem à siccitate confirmari nunc dicebamus. Indiciosæ sunt ætates, senectus & infantia, per quas humoris copia memoriæ nocet, eóque respexisse videtur Plato, qui animā omnium rerum cognitione præditā, omnium obliuisci putat, quando in præhumidum fœtus corpusculum demergitur: deinceps verò oblitorum reminiici, prout corpus siccius euadit. Quod verò attinet ad medicamenta obliuionem inducentia, quæ planè refrigerādi vim habent, agnosco id efficere posse, quando frigidæ intemperiei humida paulo pòst succedit: alioqui, cur melācholici omnes memoriam non amittūt, cùm frigida cerebri intemperie afficiantur? Neq; enim admittendum puto quod nonnulli scribūt, à sicca etiam intemperie frigori co-

Universidad de Deusto Biblioteca



pulata, vel ab humore melãcholico eiuſ-
modi qualitates habente memoriã dele-
leri. Quid enim à melancholia differret
obliuio me latet, niſi (quod recipere no
lim) pro maioris & minoris diſcrimine,
cùm his authoribus eadem planè cauſa
eandem partem afficere dicatur? Vnicus
ergo pituitoſus humor eſt, qui ſubmer-
git & obliterat conceptarum rerũ for-
mas, obliuionémque inducit. Idem μωρίαν
μώρωσιν, hoc eſt fatuitatem, infert: quam
Galenus accidere vult ratione & memo-
ria ſimul deperditis.

lib. 3. loc. aff. cap. 4

Sequũtur affect⁹ ſoporoſi, λήθαργος, κῶ-
μα, κάρος, ἀποπληξία, & κατάληψις quę in genera-
tionis modo & efficiẽte cauſa non multũ
differre videãtur, ſi quis attẽtiùs rẽ cõſi-
deret. Omniũ materia eſt frigid⁹ humor,
aut vapor, cerebri corpus aggrauãs, aut
implens vẽtriculos, vel ſinus aliàque va-
ſa diſtendens, rarò ex nuda & ſimplici fri
gida intẽperie ſuſcitãtur, & ſi humor ſo-
porem efficiens frigiditate magis pec-
cat, vt qui obliuionem infert, humectat
potentiſsime: ob id enim dicebat Gale-
nus quæ duntaxat humectant, ὑπνωτικὰ
ſunt: quæ autem refrigerant pro ſomno
κάρους & κώμα efficiunt. lethargus ab ob-
liuione (cuius naturam alioquin refert,
& appellationem ſortitur) differt, quod
obliuionem ſolam committẽs humor ſit
liqui-

lib. 1. de ſympt. cauſ. cap. vlt. mo.



liquidior, cerebrum valdè humectãs: le-
thargum verò inducẽs materia craſsior
eſt vapor, qui ex eiuſdem naturæ humo-
ris ebullitione attollitur, vnde ſemper
cum febre lenta accidit lethargus, eiuſq;
ſymptoma potius eſt (meo iudicio) quã
cauſa, vt noſtri cenſent: quippe Auicẽnas
definit lethargum, apoſtema phlegma-
ticũ, factum intra craniũ, ad quod febris
ſequatur neceſſe eſt. Alii cũ Galeno ſuf-
ficere putãt, modò pituita in cerebro pu
treſcat, vnde etiam febris lẽta naſcatur:
verùm ſi putreſcit, aut phlegmonẽ pitui-
toſam efficit humor, is calidior euadens
ſtuporem præ frigiditate non inducet, vt
voluit Galenus ſibi apertè cõtradicens.
Neque prorſus contrarii affectus eſſent
phrenitis & λήθαργος, illa ex calida ſiccáq;
intemperie naſcens, hic verò frigida &
humida. Nec oxyrrhodini embrocatio
admodum conueniret initio, niſi quia va
pores deturbat & repercutit. Aut cur nõ
in apoplexia, caro, comate, & catalepſi
idem remedium inſtituitur, ſi omnes hi
affectus à frigido humore ſimiliter ortũ
habẽt, eſtque repellend⁹ à capite humor,
quiſquis is fuerit? ad hæc Galen. ſibi cõ-
tradicere videtur, cum ait lethargicam
paſsionẽ fieri, quando cerebri refrigera-
tio fortis fuerit, iuncta humiditati: quod
imitatus Aegineta ſcribit lethargi cauſã
eſſe

lib. 13. meth. ca. 21.

ibidem.

cõm. in aph. 3. lib. 2.

esse pituitã, quæ frigore nimio & humiditate imbuit. At quatenus refrigerat, & (vt illi volunt) lethargum infert, febrem quoque inferre non potest. Rectiùs ergò dixeris, vaporem esse frigidum à pituita, extra cerebrum incalescente suscitatã, ob idque febres lentas comitari pertinacissimas, quas multa pituita parum bilis (febrium omnium præcipuam materiam) diluit. Media inter phrenitidem & λήθαργον esse videtur κατάφορὰ, hoc est, in somnum delatio, qua quis est prægrauatis & humidioribus oculis, vixque palpebras attollit, quod ebrii quidã ex vino pati solẽt. Verùm duplex est eiusmodi affectio: nam aliàs mox in profundum somnum conuertitur, idque iam κῶμα absolutè vocant (est enim κῶμα somno magis familiare quàm vigiliis, etsi vtrunque comitari dicatur) aut κατάφορὰ ὑπνώδης, quæ lethargicorũ est ἴδιον, quin potius cum lethargo prorsus confidit, vt ex Gal. facilè colligas. Aliàs est cum vigila, delirio, & deprauato motu, phreniticis non raro superueniens, quàm idem Galenus καταφορὰν ἀγρυπνον, potius, quàm κῶμα appellandam suadet. atque hæc rursus duplex ei constituitur, altera quidem pigra » de qua Hipp. inquit, Neque maniacus fa » ctus est phreniticorum aliquis, sicut in » aliis, sed in quadam κατάφορᾷ pigra caput grauati

*lib. de comate.*

*lib. 3. epid.*



grauati perierũt. Altera verò generis nomen retinet, & nõnunquam ὑπνωτικὴ dicitur. In vtraque loquũtur, delirant, & ad surgẽdum prompti sunt, quibus differũt omnino à κατάφορᾷ lethargica, seu comatose simpliciter dicto, per quod in profundiore summo occupati nõ facilè expergiscuntur, tametsi pungas, aut insigni clamore prouoces. κατάφορὰς autem simpliciter dictæ, quæ ad phrenitidem maximè accedit, propriũ est, vt per eã corpus subinde agitetur, clamor sit frequẽs, acutissimus auditus, & motio facillima, siquoquo modo excites aut alloquaris, de prauatè intuentur, & magis quàm antea deliri malũ facere tentant. In pigra verò κατάφορᾷ, non multum mouentur, minusque delirant, & tunc magis desipiunt, quando sopori eos commiseris. Porrò vtraque κατάφορὰ, aut (si mauis dicere) ὑπνώδης κῶμα fit, vapore potius quàm humore cerebrum implente, vt etiam paraphrenitis. Verùm in hac biliosus magis est vapor: in cathaphora autẽ quæ pigra dicitur, pituitosi non parum admixti est. Mediam naturam sortitur vapor, qui κατάφορὰν absolutè dictam excitat: nisi enim aliquãtulum saltẽ frigidiusculæ & humidioris materiæ adesset, oculorũ grauitas & velut in somnum propensio non fieret, sed purũ delirium. Galenus materialem causam

*prorrh. lib. 1.*

causam esse vult, non vaporem, sed bilem & pituitam simul mistas, vel sanguinem multum cum bile, atque in eiusmodi affectibus deliriũ, somnolentia grauius aut leuius esse, pro alterius humoris exuperãtia. Quum igitur medii sint affectus inter phrenitidem & lethargum, κατοχὴν pigra ad lethargum tam propè accedit, quam ad phrenitidem κατὰ τὸ simpliciter dicta. κῶμα verò, quod somnolentũ, & simpliciter coma vocãt, à lethargo non distinguitur, etiam authore Gal. aut si quid differant, specie diuersi affectus nõ sunt. Itaque eadem vtriusque fuerit causa, nempe refrigeratio cum humectatione, quibus simul intẽsis grauissimus fit affectus, vt leuior est, si altera tãtùm qualitas maximè afficiat. Carosbarbaris Subeth vocatũ, ad illa proximè accedit, estq; lethargo simillimus. Hoc enim laborãtes, oculis semper clausis pro fundissimè dormiunt, aut dormire potius videntur, nec oculos aperiunt, nec tametsi puncti sentiant, loquuntur, quo re tantùm à lethargicis differunt, quum hi prorsus muti non sint. Vnde colligas ex simili, sed validiore causa, excitari caron, quod nostri quoque agnoscere videntur, quum statuũt carõ vehementiores & acutas febres sequi, lethargum verò cum remissioribus & lentis esse. fit tamen etiam



tiam aliis de causis caros, vt ab ictu musculorum temporalium, cõpressione cerebri dum incautè fit trepanatio, & similibus quæ ventriculos cerebri coarctare possunt: qua ratione opinor scripsisse Galenũ in caro ventriculos magis quàm cerebri substantiam affici, & anteriorẽ partem (vbi cauitates sunt insigniores) magis quàm posteriorem, scilicet quocunq; modo accidat vt vel cõprimatur vel multo, eóque frigido & crasso, vapore grauetur cerebrũ, soporosus est affectus, & exspirituum defectu, vel ineptitudine vigilandi impotentia. In lethargo autẽ non affici ventriculos, sed vnicũ cerebri corpus, autor est Galenus. Cæterũ hucusque explicatas soporis species idem author ad imaginationis læsionẽ refert, lethargum verò & memoriæ & rationis noxam esse docet: sed Aetio magis assentior, qui capite de amissa memoria, statuit in omnib⁹ soporis affectibus memoriã cũ ratione læsam. Neq; verò solæ principes functiones in caro cessant: quinetiã omnis sensus perit, nisi admodum altè pungantur: & nullus est motus, præterquam thoracis ad respirationem prorsus necessariam. Atque hoc maximè cum apoplexia conuenit, ferè sola magnitudine diuerso affectu: siquidem vehemẽtior vapor minori apoplexiæ comparari solet.

*Lib. 3. loc. aff.*

*lib. de dif. sympt. cap. 3.*

*lib. 3. loc. aff.*

Apoplexia

Universidad de Deusto Biblioteca



Apoplexia verò fit authore Gal. trifariam: vel enim tot modis eã excitari posse vult aut in assignandis eius causis varius est. Siquidẽ li. 3. locorum affectorum docet, applexiæ (quod subitò eueniat) causam esse frigidum, aut crassum, aut viscidum quippiam principes cerebri ventriculos (hi verò sunt medius & postrem⁹) affatim implens, non totius substantiæ cerebri intemperiem, perinde ac lethargi, phrenitidis, maniæ, melancholię, stultitię, amissę memorię, sẽsuum hebectationis, & resoluti motus cui sententiæ non obscurè contradicit, vbi soporis, epilepsiæ, & apoplexiæ discrimẽ assignãs li. 4. loc. aff. inquit, horum trium morborum „ causa est frigidus, & crassus, vel omninò „ viscidus humor. Verùm in sopore & epi„ lepsia ventres magis cerebri, corpus mi„ nus, in apoplexia verò corp⁹ magis affici „ solet, &c. Ergo apoplexię præcipua causanõ est, subita pręcipnorũ cerebri ventriculorũ impletio, vel obstructio, vt in superiore sententia dixit. Quod verò in eadem negauit, totius cerebri intemperiem, frigidã, scilicet, apoplexiæ causam esse perinde ac lethargi, aliis in locis affirmat, & primùm libr. 2. de causis sympt. cùm de stultitia & obliuione tractãs, ait: „ Hæc igitur symptomata ipsum cerebri „ corpus refrigeratum esse declarãt, quẽ-

*cap. 2.*

*Cap. vlt.*

admo



admodum & apoplectica, sic enim ex „ Græco legẽdum. Epileptica verò, ob pi„ tuitæ in ventriculis ipsius aceruatę mul„ titudinem accidere videntur. Proinde „ horum (hoc est epilepticorum) sympto„ matum, tum generatio, tum solutio subi„ taria est, id quod per corporum intẽpe„ riem fieri haudquaquã potest. Et lib. de diff. morborum. frigidi morbi causas recensẽs. docet talem affectum in vniuerso corpore accidere, iis qui sub vehementi frigore iter aggressi sunt, & eiusmodi etiam euenire apoplecticis, epilepticis, tremẽtibus, & cõuulsis. Verùm non à simplici & nuda intemperie frigida excitari apoplexiam, sed quæ pituitosum humorem subiectum habeat, satis arguit παράλυσις in quam salubris apoplexia desinere & conuerti solet. Ob id etiam rectè Galenus apoplexiæ causam primariã esse vult alimẽtariã copiã, aut alienã qualitatẽ, nempe frigidam. Et (meo quidẽ iudicio) apoplexia fit, quando humore nimio irrigatur cerebri corpus adeò vt omnis sẽsus hebescat, motusq; cesset pręter respirationem, quæ in forti apoplexia vix perceptibilis, nulla esse videtur.

*Cap. 5.*

*Li. de cau. mor. ca. 3.*

Κατοχὴ seu κατάληψις, detentio, deprehẽsio, occupatio, & cõgelatio dicta Latinis non parum conuenit cum ἀποπληξίᾳ, nempe ea est, quã Gal. vult fieri ex vehementi re-

*Li. de diff. morb. ca. 5*

„ ti refrigeratione, dum inquit: Porrò eo-
„ rum qui in itinere frigoris inclemētia pe
„ rierunt, alii ὑπερβαπτόντες, alii ὑπολειπόντες, πνεύμα,
„ alli congelatione correpti obriguerunt,
alii quidpiam apoplexiæ simile perpessi
sunt, κατοχὴν videlicet. Est enim affectus
cerebri quo laborātes de repēte muti fi-
unt, nō tamē cōcidūt, vt apoplectici, sed
in eodem statu permanēt quo deprehēsi,
apertis oculis, si apertos haberēt, stātes
si starent, sedētes si sederent, ἵστασθαι quæ-
dam videtur, quasi (vt vulgus loquitur)
rapti essent. Audiunt nonnulli, atque vi-
dent: eorūque maximè meminerunt quæ
circa se contigerunt, etsi respōdere non
possint, vt habet Gal. idem verò censet
κατάληψιν accidere ex cerebri refrigeratio
ne & exiccatione: & occupare magis po-
stremum cerebri vētriculum, vt κάρηνα ani-
teriores. Sed cùm subitò fiat κατάληψις, sic
ea verò intemperies tardissimè accidat,
in hōc Gal. assentiri non possum. Est po-
tius frigiditas excellēs cuiusdam vapo-
ris vel humoris, aut nuda & simplex, quę
cerebri corpus repētè afficiens, vniuersi
corporis rigiditatem infert, qualem im-
propriè conuulsionem appellant. Nulla
siquidē est agitatio, vel apparens, vel oc-
culta, sed detentio & cōprehensio instat
corporum frigore concretorum. Ex iis
quid cum apoplexia conueniat, quid ab
eadem

In lib. 2. prorrh. cōm. in aph. 3. lib. 2.



eadem differat, apertè cognoscas.

De epilepsia varia est Galeni senten- Cap. 2.
tia, quippe lib. 4. loc. affect. hanc mediā
inter soporem & apoplexiam cōstituit:
alibi verò cum delirio & sopore affectū
esse innuit, vt cùm ait, Porrò conuulsio, « Lib. 1.
quæ per totum corpus fit citra παραφροσύ- « de sym-
νην & κάρον (id est quę non fuerit epilepti- « caussis.
ca) à spinalis medullæ ceruicis morbo « circa fi
dependet. Aliàs proximam esse vertigi- « nem.
ni statuit, quod mihi magis probatur.
Nam vterque affectus à quodam vapore
fit, & vertigo epilepsiam præcedere so-
let. Galenus verò existimat (vt paulò an-
tè diximus) humorē esse crassum, à quo
ventriculi principes confertim obstruā-
tur: & eum quidem aliàs pituitosum, a-
liàs melancholicum. Sed tam repentinū
symptoma à prætenui materia potius cō
citari, quàm à pigro humore, verisimili'
esse puto. Pituitosis verò, vt infantibus,
& melancholicis non alia ratione fami-
liaris est, quàm quia cerebro expurgan-
do meatus non satis patent. Cùm enim
ipsum à vapore noxio lacessitur, ferè fit
vt vernutamentum, si à nullo obstaculo va-
poris expulsio impetu facienda prohi-
beatur: sin minus, ex vertigine cerebrum
fatigatur, aut ab epilepsia correptū suc-
cumbit, nec prius cessat horrēdum sym-
ptoma, quàm magna cerebri contentio-

que,& conuulsoria cõtractione, suorum canalium obstructionem dissoluerit. Vtriusque affectus,vertiginis(inquam)& epilepsiæ,materialis causa in cerebri vẽtriculis meritò à nobis cõstituitur, & in epilepsia quidem, membranam tenuem principes vẽtriculos succingẽtem lacessens noxia qualitate,vel ꝓprietate quadam:in vertigine autem,animales vocatos spiritus turbulento motu concitans. Sed de vertigine mox plura. In epilepsia nõ minus quàm apoplexia lædũtur functiones animales ad vnam omnes: quũcæteræ per accessionem abolitæ videntur, vnica motio deprauatè exercetur in epilepsi a, quod delirii speciem quãdam habet.

De vertigine,quę Græcis σκοτοδίνη proprie uocatur, nũc diximus quantũ epilepsiæ affinis sit,vt paruæ epilepsiæ nomẽ apud quosdam meruerit. Est quando omnia circumagi videntur:cui affectui iungitur nõnunquam visionis obfuscatio, tunc& composita dictione σκοτοδίνη appellatur: σκότωμα pro vtroque vsurpari solet, frequẽtius tamen vertiginem solam denotat, etsi vertigine grauior affectus esse videatur. Horũ causa est inæqualis & turbulenta vaporis agitatio,qua spiritus similiter commotus,& velut rotatus similem phãtasiam de rebus externis indu-



cit. Est verò locus eorũ vaporũ in anterioribus cerebri ventriculis magna ex parte,vt aliorum qui ὑπολήψεις faciunt in posterioribus. Is autem vapor qui vtrũque affectum infert, aliàs in cerebro suscitatur, aliàs ex partibus inferioribus ascendit & vertiginosæ aut epilepticæ cõpassionis vocatæ causa existit. In vertigine simplici deprauata est imaginatio cum visione,aut deprauata solùm, aut diminuta. In σκοτοδίνῃ verò,tenebræ prorsus offunduntur. In neutra lędi rationem ex eo probatur, quòd vertiginosi agnoscãt aut suspicentur falsam esse imaginationem: multò minus læsam esse memoriam constat.

Sequitur ἐφιάλτης,latinis incubus, dormientium peculiaris. Est velut præludium quoddam epilepsiæ, apoplexiæ, vel insaniæ,quo laborantes sentiunt aliquid insidere suo pectori, séque ab alio inuadente comprimi & suffocari, vnde πνιγαλίῳ quoque dictus est affectus, Quidam putarunt esse dæmonem accumbentem, quos dudum reprehendit Aetius. Fit initio somni, potissimum quando copiosiores,frigidioresque vapores affatim cerebri vẽtriculos implent,& spirituum ad neruos liberam penetrationem impedient,nõ aliter quàm nubes solisradios sistit. Hinc quia thoracis musculi spirituũ

inopia laborãtes egrè mouẽtur. ſuffocationis ſpecies non prorſus falſa contingit. Diſcuſſo autem impedimento, id eſt, abſumpto vapore non multò poſt ceſſat affectus.

Hactenus ſymptomatum quæ cerebri morbos ſequuntur præcipuorũ, & certis nominibus definitorum eſſentiam, differentias, & proprias cauſas breuiter & verè (vt opinor) explicaui. Fuſior poterat eſſe tractatio, qualem rei dignitas & maxima difficultas expoſtulare videtur: ſed quum eorum ſola diſtinctio pro cauſarum diuerſitate, & vtcumque varia ſede affecta, mihi propoſita ſit, vt quæ vulgo non ſatis apertè diſcernuntur, accuratius diſtinguerem, hæc abundè ſufficient, hominibus præſertim minimè rudibus, & ſcholæ noſtræ familiaribus.

TYP



DE his, & aliis omnibus tã morbis quam ſymptomatis fuſiorem & faciliorem explicationem ſtudioſi expectant ab eodem auto e, breui abſoluendam: qui ante quatuor menſes dictare coepit Methodum certamque rationem medẽdi omnibus morbis ſeu internis, ſeu externis longe diuerſo ordine & compendio multo faciliore quam hactenus fuerit ab vllo authore expoſita. Tu illi ſalutem & otiũ exopta, lector beneuole.

Universidad de Deusto Biblioteca



CVM viderim D. Laurentii Iouberti, quæ ipse cōscripsisset τὰ παράδοξα à nōnullis vehementer laudibus euehi: contrà verò nonnullos publicè eadem (quod deterius est) immeritò traducere: putaui hisce suis quas scripsit annotationibus, quasdam animaduersiones addendas esse, quæ autoris sententiam confirmantes, eā magis explicarent. Hæ verò sunt appendices quædam, ab eodem autore in suum librum typis excusum: tunc nimirum temporis, cùm per otii occasionem eundem libellum relegendi atque locupletandi sibi potestas daretur. Ego verò quò eas haberem opera cuiusdam eius amici vsus sum, quocum familiarissimè viuit: hasque paucas collectas hoc in paruo volumine sum complexus. Id autem cùm ad dignitatem ac honorem D. Iouberti augēdum verti intelligerem, operæ pretium duxi, eas in lucem edere. Qui enim autoris τῶν παραδοξῶν lectione oblectantur beneuoli, habebunt quo sibi satisfactum putent: cùm viderint τῶν ipsius παραδοξῶν huiusmodi reparandi rationem, séque magis edoctos senserint. Maleuoli verò ac detractores, non habebunt posthac quò ita maledicere queant, qui in vna aut altera vocula, vel obliquè posita, vel perperam explicata, sæpenumero inhærentes tumultus excitant, & tragædias mouent. Vale.



IN

# LAVR. IOVBERTI VALENT. DELPHINATIS, MEDICI MONSPELIENSIS, ΠΑΡΑΔΟΞΑ annotationes ab eodem conscriptæ.

Pag. 16, lin, 26. pars ei subiecta vim medicamenti statim percipiat. Adde:

Sic ferè Galenus: Quod mordax futurū sit (inquit) eius quod morderi debeat substantiam oportet peruadere, quod in cute secundum naturam se habente frigida aqua non potest efficere, quoniam cutis densior est quàm pro eius substātia. In vlceratis autem, vt quæ rariora sunt, peruadere potest per eorum substantiā in profunda subintrās. Cō. in aph. 20. li. 5.

Pag. 50, lin. 26. qui marcori & siccitati, Adde:

quæ ἀνάνθεις propriè dicitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Pag. 53. in fine paradoxi secũdi: Adde,

Porrò huius enarrationis vel solo argumento, vel demonstrationibus commoueri posse hominum duo genera, facilè præsentio. Vnum est naturalis Philosophię & Medicinę imperitum, simplicitatis & pietatis nomine venerandũ: qualis plebecula, & quicunque in æstimãdis rerum causis studium non adhibent. Alterum διαβολικὸν, quod etiam quæ bene dicta esse nouit, impudẽtissimis calumniis insectatur. Hoc, quia explicationem non expectat, & quæcunque impura sua mente excipiuntur deprauat, suóq; veneno inficit, me nihil moratur. Alteri verò benignè & candidè satisfaciẽdum puto. Obiici posse video: quadraginta dierum integrorum ieiunia, quæ IESVM CHRISTVM, Eliam, & Mosen sustinuisse testantur sacræ paginæ, dictante Spiritu sancto, scriptores, iam non pro miraculis habebuntur, si naturali quadam ratione etiam in multos menses & annos inedia ferri queat. Verum profectò, nisi plane contra naturæ leges hominibus perfectè sanis istud priuilegio quodam fuisse datum (vt piè credimus) agnosceretur. Diuinitùs enim concessa illis fuit ad tempus immunitas ab infirmitate carnis, vt alia



alia esset tunc eorum conditio quàm generis humani. Quos verò ἀσίτους per aliquot annos vixisse ex prophanis historiis accepimus (siquidem vera narrant) omnes valetudinarios fuisse oportet, & succo frigidiore quamplurimo refertos, ex quo potuit longiore tempore nutriri corpus, vt enarratione hac fusissimè demonstraui. Sic à quotidiano euentu docemur, ægrotantium plerosque non appetere, prauis humoribus infarto vẽtriculo, & singulis hebdomadis minus cibi accipere, quàm dum sani essent, diebus singulis assumerent: at corpore integerrimo hominem vel diem vnicum sine cibo, & non famelicum, transigere posse, naturæ limites excedit, & diuinũ est miraculum. Quantò magis admirandũ, totos quadraginta dies ab eodem ieiuniũ celebrari, vt nulla sentiatur esuries, nec cũ edendi cupiditate lucta sit, nec magis cibũ vel potũ appetat quàm vnus quispiã ex angelis? CHRISTO humanũ corpus longè temperatissimũ & purissimũ (licet morbis obnoxiũ pro humanæ naturæ cõditione) fuisse credim⁹. Et Mosen & Eliã quãdo cibo & potu quadraginta dies abstinuerũt, perfectè sanos quadã prętogatiua à cõmuni hominũ vita exẽptos fuisse, agnoscimus. Hinc fit vt merito suo illustria cẽseãtur miracula, quibus sancita fuit

Universidad de Deusto Biblioteca



fuit horũ prophetarũ,& Christi autoritas. Neq; verò nouũ est, similes effectus ex eo quẽ Deus opt.max. Naturę pręscripsit rerũ ordine, & ex aperto miraculo cõtra eiusdẽ naturę leges, accidere. Nam quales viri sancti curarũt febres, & alios plerosque morbos, medici etiam tollũt. Sed quibus vtuntur mediis, ea latissimũ discrimẽ inferunt: quippe illi verbo, aut cõtactu solo effectuum causas, naturæq; impositam necessitatem Dei gratia dissoluebant: hi verò nihil aliud quàm naturalibus causis alias etiã naturales opponunt, quibus (si remediis à Creatore insita vis potentior fuerit, nec tunc irritam esse idem iubeat) morbũ inferens causa deletur. CHRISTVS fluxum muliebrem inueteratum solo vestis fimbriæ cõtactu integrè persanauit: nos arte medica, cuius idem pater benignus humanæ cõditionis misertus, autor & verus institutor est, certis medicamẽtis simili affectui medemur. Sic sanè humor pituitosus copiosior τὴν ἀσιτίαν inducere potest, quæ bene valẽtibus ex sola Dei maximi voluntate in supradictis fuit. Ast pręter hæc, infinita sunt quę mentem nostrã excedunt miracula, quæque vel humana ars, vel ipsa natura vllo modo imitari nescit. Eiusmodi est natiuæ cęcitatis curatio, spirituum immundorum ex hominum corporibus

Matth. 9.



poribus expulsio, mortuorum iam semiputridorum resurrectio, & similia, quæ Dei omnipotentis autoritatem confirmant. Ex his patêre arbitror, veris miraculis nõ refragari, aut eorum certitudinem minuere, quæ naturæ quadam lege (etsi ratò) cõtingere dicuntur: nec Christianæ fidei contradicere, qui talium euentuum causas diligentius examinat. An non potius minimè fictorum miraculorũ veritas eò magis corroboratur, simúlque imposturis demitur occasio, ne scilicet imperito vulgo imponant facillimè? nam si quis eorum qui ex frigida intemperie phlegmatísque vbertate fiũt ἀπόθεον, θεόπνευστον prophetã simulet, quot hominum millia in grauissimos errores & perniciem præcipitabit? Impius profectò, & veræ, hoc est diuinæ philosophiæ ignarus is fuerit, quicunque talia cogitans æstimánsque impium & ἀσεβέστατον esse pronunciet, à diuinis miraculis naturæ opera, & (vt nostri etiam loquũtur) miracula non fucatis rationibus distinguere velle: quod virum probũ, piumq; & charitate insignẽ maximè decere, pij probíque omnes vltrò fatebuntur.

*His perlectis subscripsit venerãdus Io. Platenus in ecclesia Monspel. V. D. M. doctis.*

Pag.

Pag. 77. lin. 19. accidere solent. Adde.

An potius dicendum(quod in postremum hunc locum differre placuit, tametsi in postremis non sit habenda causa)vaporem frigidiusculum ex alimentis excitatum cordis calorem tunc obsidere,& nonnihil retundere,vt facit per accessiones febrium intermittentium humor? Atque eiusmodi planè est rigor vel horror, quem Galenus passim testatur veteribus non fuisse visum, nimirum à quo febris non accidit. Solet vero à praua victus ratione originem ducere, vt ille inquit, dum per ocium quispiam se impleuerit, & subinde à cibo lauerit. Quòd si ciborum quoque temperatura frigidior sit, ac pituitam suapte natura parere possit, tum promptissimè rigor excitatur, adeò vt perquam difficile sit calorem reuocare.

*lib. 2. de sympt. caus. c. 7.*

Pag. 86. lin. vlt. non alibi. Adde.

Sic linguæ & palati tunica censetur præcipua pars instrumẽti gustus, quum tamẽ ei perquã similis substantia in plærisque



risque aliis partibus reperiatur, nõ qualis est caro linguæ.

Pag. 238. lin. 3. Galenus in commento. Adde.

Cur si coctio melior sit dormiẽtibus, non suademus vt quisque mox ab ingesto cibo dormiat? quin potius vt per aliquot horas vigilemus, præscribitur. An non præstaret tũc calorem plurimũ circa ventriculum scilicet coaceruari, quãdo cibus crudior adhuc est, nempe momentum distans, quàm vbi tãdem cœpit immutari? Dormiant ergo statim à cœna qui hoc cẽsent, vt quod totius operis est difficillimum, somni beneficio absoluatur: reliquum verò per vigilias absoluẽdum cõcedant, sitque planè mutatus vigiliarum & somni consuetus ordo.

Pag. 341. lin. 20. cõuenire possit. Adde.

Veruntamẽ si quis paulò seuerior cõtẽdat, vix vllas esse humorales in quibus putredinis quędam notę non adsint: esto seuior putredo, concedatur, at non tanta vt inde excitari possit febrilis caliditas, quod pestilẽtibus est peculiare. Aliarum

arũ igitur quæ ſalubres dicuntur, putredo ſit comes duntaxat: peſt ilétium verò & fomes & author. Atque in his nulla exceptione putrẽt humores ad vnum omnes, non calidi tãtùm, humidique, ſed etiam frigidi, ad melãcholicũ vſque. Tãta enim eſt afficiẽtis veneni vis & acuties, vt vel ineptiſſimos alioqui humores putrendo corrumpat.

Pag.244.lin. 12.& iam inde cõ ſueta putamus. Adde.

At (inquies) dum calor in viſceribus magis continetur, nec multum diffuſus copioſior eſt in corde, aorta, & vena cauа, nec non hepate & liene, quũ hæc ventriculum circũſtẽt, ab iis incaleſceret magis per ſomnum. Reſpondeo: quẽadmodum totius corporis ſuperficies calore magis deſtituta friget, ſic cuiuſque viſceris exterior pars minus calet, quũ in ſueluti centro coërceatur influẽs caliditas. Atqui iam dicta viſcera, iecur, liẽ, aortã, & vena caua, nõ niſi externa ſui parte ventriculũ attingunt. vnde fit vt ei minus faueant tunc temporis quàm per vigilias, cùm ſcilicet expanſus calor quauerſum diffunditur.

pag.



Pag.360.lin.4. vocant, ex bilẽ fieri. Adde,

Galenus idem voluiſſe videtur, cùm ait: Tertianæ febres, vt omnium maximè bilioſæ calidæque ſunt, ita præ cæteris maximè horrorem efficere poſſunt, &c. Non enim aliis quæ tertianarum typum imitantur eas comparat, ſed quartanis potiſſimùm & quotidianis. Quinetiam explicans aphoriſmum 42.lib.7. cogitur Galenus omnem humorem excludere, cùm dicit Hippocrates, Si febris non ex bile ſit, &c. quippe nihil ſupereſt, niſi vt ſpirituoſa dicatur, vel Hectica.

*Lib. 2 de ſym. cau. ca. 6.*

Pag.369,lin.3. pituitoſis frigus tantùm aſsignant: Adde,

Sed quid eſt quod rigorem fieri putant, bilioſa materia per corporis habitum diſperſa: & quò ſincerior bilis fuerit eò vehementiores eſſe rigores, vt apertè Galenus ſignificat? Potéſtne calidior & acrior humor intenſiſsimi frigoris ſenſum inducere, ac non calefaciendo potius vtere? præſertim quando benè diſſeminatus calorem natiuum cuiuſque partis ſuffocare non poteſt, vt in cor aſſatim & copioſior irruens: quàm refrige rationis, horroris, & rigoris legitimam cauſam

*Lib. 2. ſympt. cau. cap. 6.*

causam esse putamus. Neque similis est ratio, vt existimauit Galenus, internæ & extrinsecus occurrentis causæ: nam quod ille proponit de aqua feruente, igneis scintillis, causticomedicamento, & aëre balnearum calidissimo quæ rigorem vel horrorem gignunt, corpus attingentia, aliam rationem habet, quam Aristoteles ipse dictauit: nempe frigus externum quod superficiei corporis iam est familiare, occursu calidi recollectum intro protruditur: scilicet aduersarii circumobsistentis congressum non sustinens, profugium introcedit: quæ ratio locum habere nequit in calida causa intrinsecus afficiente, quando in habitum bene disperſa fuerit materia. Porrò Galenus statuit vim expultricē tum certare cōtra ea quæ molesta sunt, donec radicitùs euellantur & concutiantur. Ideóq; vehemētes facere incursiones, & quia in corpore intimo coaceruata magna vi caloris ipsa inuadit, febrem à rigore succedi putat, non parum ad febris vehementiam conferente materia. Sed qui fieri potest, vt ex ea occasione habitus non magis incaleat, si caloris intus collecti vehementia humor natura calidus in carnem spargatur? Respondebis, materiam acrem pungere, vellicare, & quandam solutæ continuitatis speciem inferre:

*Ibidem.*

*Probl. 7. sect. 8.*

*Lib. 2. de symp. causis cap. 8.*



inferre: vnde quia dolor excitatur, caloris fit reuocatio, vt docet Galenus. Ergo tandiu perseuerabit rigor, donec acris materia è partib⁹ sensilibus expulsa fuerit: quod in declinatione tantum paroxysmi fieri volunt. Non enim accidit rigor materia discurrente per venas & arterias, quas vix aut nihil sentire scribit Galenus: sed in carnem & vniuersum corporis habitum effusa, vt idem existimat. Cur rigor non perseuerat, donec inde prorsus explodatur noxius humor? Nū quid is acrimoniam suam amisit, neque deinceps mordax & pungens est? Atqui ex putredinis seminario quodam acriorem molē & pituitam, & melancholicum humorem: eoq; certis temporibus fieri illorum è venis in carnes expulsionem. Hîc verò conculcatos extremam putredinem pati, cuius ratione febris accendatur. Quæ si vera sunt, acrior mordaciorq; euadit materia quæ habitum corporis occupat. Sic enim Galenus: vbi adeò putris effecta est vt febrim inducat, quanta fuerit putredo, tantus erit & calor. Ergo si calidior est acriorque & mordacior quàm nunc è venis effluens, quid obstat quo minus toto accessionis tempore rigeant ægri, neque prius desinat rigor, quàm sparsa materia prorsus discutiatur? Dices, humorem iam quiescere, non agitari, quod ad rigorem inducendum requiri videtur de

*Ibidem.*

*Cap. 7. lib. eiusdem.*

*Cap. 8. lib. eiusdem.*

Universidad de Deusto Biblioteca



Galeni sententia, verum idem sufficere putat, si aut vehementius moueatur materia, aut multum abundet, aut mordacior sit. Quòd si aliquod istorũ desideretur, leuiorẽ esse rigorem, vel horrorem potius dicẽdum vult. Esto igitur sola materiæ mordacitas extrema & parcior quãtitas (nã semper aliquid eius absumitur) horror saltẽ mox rigorem excipiet, totáque accessione perseuerabit, maior minórue. Iam si motũ quantuluncúnque ad rigorem necessarium esse velis, vt quæ materia est immota ne horrorem quidem efficere possit, quid est quod in grauissima accessione, vbi maxima est inquietudo, & quando impatientes ægri corpus immodicè agitant, incompositè nunc hos nunc illos artus mouent, subinde locum mutant, & nusquam consistere possunt, rigorem vel horrorem perpetuum non sentiant?

Pagina 372. lin. 10. de profundo emergit. Adde

Sed multò apertiùs & propius ad rei veritatem accedens, rigoris causam explicat libro ei dicato, vbi docet hunc esse caloris natiui affectum, quando violenter impeditur illius motus. Et alibi: Pugnat (inquit) certátque facultas contrà ea quæ molesta sunt, donec radicitus euellantur concutiantúr

Li. 2. symp. caus. cap. 8.



túrque. At quia vehementes facit incursiones, & in intimo corpore coaceruata magna vi caloris ipsa inuadit. Febrim à rigore succendit, συμμαχον τὴν ὕλην ἔχουσα εἰς τὸ μέγεθος αὐτοῦ, &c.

Pagin. 378. lin. 13. vt scripsit Hippocrates: Adde

Quod ita accipi velim, vt iam multũ accensa materia partes omnes æstuent, & à calore immodico dissolutæ eneruentur. Ab initio etenim distenduntur potius, & subinde recuruantur articuli, quando fit rigor, scilicet, Cuius symptomatis causam Galenus sic explicat: Concussis (inquit) musculis omnibus necesse est, opinor, cum ipsis & articulos vnà concuti: atque ob eiusmodi concussionem, laborantes inuiti & distenduntur & incuruantur. Concutiuntur verò musculi ex frigoris sensu molestiam ægrè ferentes, quam frustra expellere conantur in seipsos contracti.

Li. 2. symp. caus. cap. 5.

Eadem porrò de causa fit dentium stridor & quassatio, velut ex conuulsione, aut qualis est trementibus ex timore: nimirum inconstantia musculorum, quibus caloris & spiritus quãtitas sufficiẽs tũc nõ cõceditur.

Stridor dẽtium.

Pag. 383. lin. penult. nouæque cedit; Adde

Verùm ista vulgari, potiùs quã nostræ sen

Universidad de Deusto
Biblioteca



tentiæ fauent. Quippe nolumus rigoris causam esse materiam in corporis habitum depulsam, sensilésque partes lacessentem: quin potius caloris fontem ἀβρόωτον subeuntem & occupantem. Ergo, vt nostris consentanea dicamus, Rigor febri ardenti superueniens, nouæ materiæ appulsum denotat, & tunc quædam velut exacerbatio fit. Nam post rigorem febris multò vehementior apparet: quod etiam testatur Galenus. Nempe absumpto ferè qui κακόχυμα excitauerat humore, alius recens impetu quodam illabitur, à quo si vires sint imbecillæ, natiuus calor penitus suffocatur. Sin valeant, fit tantùm accessio vna tertianæ exquisitæ respondens, à qua totius morbi solutio expectari debet per sudorē, vel copiosam vrinam vomitum, aut alui deiectionem biliosam.

*Lib. 2. symp. caus. cap. 7.*

Pag. 385. lin. 38. quandiu hebetat & minuit: Adde.

Auicēnas autor est, quantò rigoris causa viscidior fuerit, tantò vehementiorem esse rigorem. Rectè quidem, si modo in coratis tim ea incidat: quod quum vix fieri posse videatur, placet affirmare verum rigorē quo partes quatiuntur & concutiuntur, etiam à frigidis succis nunqnam excitari, vt doctè Galenus admonet.

Pag.



Pag. 389. lin. 26. naturam pronuntiamus: Adde

An bona vrinæ portio ex arteriis sumitur, quam emulgentes sint crassissimæ? Quod si est, cur non cordis affectum vrina apertè demonstrabit?

Pag. 421 lin. 16. corpori alendo conueniant: Adde

Etenim (vt optime docuit Galenus) ventriculus & visceribus seruit, & venis huiusmodi succos appetens quales illis sunt necessarij. Hunc præcedit linguæ iudicium: ipsa enim iis potissimum delectatur succis, quibus ventriculus indigere videtur. Atqui consensus eiusmodi potissima causa est, vestiēs ipsam tunica. ... Mesuēus ventriculum facultatis naturalis sontem esse voluit; & inter principes partes annumerat. Inquit enim: Postremo substantiæ suæ totius proprietatem tribuit cor, ventriculum, hepar: facultatum quarundam nos gubernantium ceu fontes & possidā. Et paulò post: Quæ dictas partes facultatésque in his sitas toborant: qualia sunt medicamenta cardiaca, stomachica, hepatica, &c. & quænam (obsecro) nutricis facultatis præcipua sedes vel fons & minera, (vt nostri loquuntur) potius dici debet, quàm quæ vniuerso corpori alimenta conuenien

*Lib. 1. sym pto. caus. cap. 6.*

*Cap. 2. cap. 3.*

*Lib. 2. sim pli. med. purg. cap. 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca



tia præsentit atque procurat? Quin imò vētriculus omnium primus cibos attingit, tractat, elaborat, & suis qualitatibus sic afficit, vt deinceps futura sint idonea singulis partibus alimenta. Quæ verò huius operam & actionem planè non sentiunt, tanto fauore destituta, manent inutilia, nec nuttriendi vi satis pollent.

Pag. 429. lin. 18. non aliter ac mesaraicas deducere: Adde

His suffragatur quod ex Diocle recitat Galenus: Cæterum (inquit) flatuosas vocitas suspicandum est plus caloris quàm decet habere, in ijs venis quæ alimentum à ventriculo excipiunt, sanguinémque in ipsis crassiorem factum. Quippe constat has venas esse obstructas, vel hoc argumento, quod alimentum corpori non distribuitur, sed in ventriculo manet in coctum quum ipsum meatus antea susciperent, magnámque ipsius partem in imum ventrem excernerent tum quod postero die vomitu reiciantur, vt pote non digestis per corpus cibis.

Lib. 3. loc. af. cap. 6.

Pag. 440. lin. 3. superfluitatibus: Adde

Superfluitates vocat, aliarum partium respectu nam iis quæ trahunt, conuenientia sunt



sunt alimenta.

Pag. 441. lin. 19. eadémque nuttritur: Adde

Idem confirmare licet autoritate Auicennæ, cuius hæc sunt verba: Quod ea (sup. colera) colatum ad cystin transmittitur fel, cuius causa necessitatis trãsmittitur, & vtilitatis. Necessitas autem, aut est secũdum totum corpus, quod est ipsum à superfluitate mundare: aut secũdum vnum ipsius membrum, quod est fel nuttrire.

Lib. 1. fen. 1. doctr. 4. cap. 1.

Pag. 443. lin. 22. corporis insumeretur: Adde

An magis placebit, si ita distinxero? Quicquid attrahit, ad perfruendum attrahere constat. Quòd si attrahens viuat, nutritionis causa id ipsum trahit. Si non viuit, alicuius, saltem delectationis.

Pag. 449. lin. 18. redditur molestum: Adde

Et alio loco: vesica, non ea solum quæ bilem, sed & quæ vrinam recipit, purum vtráque atque ab aliis secretum quum attrahant proprium excrementum

Lib. 5. vsus part. cap. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Pag.452.absoluto
paradoxo.

Ne cui absurdior videatur enarratio, vbi de recti & crassi intestini nutritione agitur, quùm stercorosa nutritio prorsus inepta putetur (etsi canibus & suibus non sit indecens) animaduertat lector benevolus, nos cèlere id quod intestina continent: licet varie immutatum, non prius dicendum esse stercus, quàm illius concepraculo (hoc est, recto intestino) displiceat: vt annotauimus pag.448 lin.5. Atque id iam hominis respectu absolutè excrementum est: suibus verò & canibus iucundum alimentum, vt experiéria docet. Quod verò tandem scribimus, suillum cor pus integrum vnicam nostri particulam, vt intestino vilissimo, præstantius esse, id aures piorum hominum offendere nequit. Etenim functiones corporeæ hîc duntaxat considerantur, vbi de sola nutritione agitur. Neque impia censeri potest cõparatio, nisi vel plànè rudi & omnium rerum imperito, vel calumniatori impudentissimo: quùm medicis omnibus, perinde ac Philosophis constet, simili modo nutritionis perfrui bruta & homines: atque ex animalium corporibus ea esse digniora, quæ pluribus ὀργάνοις siue ad nutritionem, siue ad alias functiones exercendas prædita sunt. Quo nomine etiam humanum corpus cæteris omnibus multò excellentius iudicatur. Integrum tamen bruti animalis



malis corpus, quùm non modò naturali appetitu plantarum more feratur, sed etiam animali & sensibili: quámque non tãtum sensus in pluribus sui partibus, sed etiam progressionis voluntariæ instrumenta sortiatur profecto minimam corporis perfectissimi animalis particulam erit præstantius, vt ex functionibus apparet. Eadem loquendi forma, quamuis secretiore, vtuntur omnes, qui Cerebrum & Cor cæteris partibus diuiora esse pronuntiant: nulla proculdubio animæ quam continent dignitate æstimata (huius enim gratia omnes ex æquo dignissimæ forent, cum in toto corpore, & qualibet eius parte, integra sit anima) sed actionum & munerum, quæ in illis quàm in reliquis excellentiores obeuntur.

Pag.467. lin.11. ipse Galenus
demonstrat: Adde

& pectori inimicum magis est frigus, quàm manibus pedibúsque, licet id calidius esse constet.

Pag. eadem, lin.21. sustinere
possunt? Adde

maximè quàm vel in morbis minus periclitentur partes, quarum naturæ magis cõgruit morbus vt ex Hippocratis sententia licet

colligere

colligere.

Pag. 468. lin. 1. ferrum concoquere credatur: Adde

Et quum bilis ſpecierum calidiſſimæ ſ cenſeantur porracea & æruginoſa, has vt plurimum gignit ventriculus: quod eximiæ caliditatis certiſſimum eſt indicium.

Pag. 496. lin. 12. ſequantur humores: Adde

Ad hæc medicamenta vehementius pur gantia abdomini etiam admotâ ſub vnguẽ ti vel emplaſtri forma, humores vacuant ſ ad ventriculum aut anum propulſatos, non ad ſe attractos: cuiuſmodi eſt vnguentum illud de ciclamino, quod ex Alexandro recitat Meſueus.

*Lib. 2. ſimpl. purg. cap. 26*

Pag. 99. lin. vlt. ἀντιπαθία proſequitur, expellit: Adde

Ab hepate verò eodẽ ferè temporis momento fugat, minimo certè negotio. Nam ſ quum ventriculus venæ cauæ tunc à iecore egrediẽti accubet, & hanc vis medicaméti mox afficiat, humores qui in hepatis gibba ſunt ad ſimam, indéque ad inteſtina fugati facile perueniunt. Vnde quò validius eſt medicamentum, eò citius & copioſius purgat, inſigni



inſigni qua præditum eſt facultate, ſubitò & plurimum iecur afficiens. Præterea maior arteria (ἀόρτη vocata) eidem ventriculo ſubdita, vim medicamenti non tardè ſentit quùmque non pauca excrementa in ea continẽantur. (cur enim tam amplas emulgentes haberet) per meſaraicas arterias, & inſignes & plurimas, multa fit euacuatio.

Pag. 502. lin. 1. excrementa reſici deprehendamus: Adde

Id ſatis confirmat vomitoriorum natura, quæ (vt ſcribit Meſueus) ſuæ ſubſtantiæ propriẽtate ſtomachum debilitant, ſicque faciunt vt in ventriculum potius quàm inteſtina humores agitati ferantur. Et contra, ſi robuſtus fuerit vẽtriculus, etiã naturã vomitorium per inferiora deiiciet, eodẽ autore.

*Can. 1. cap. 2.*

Pag. 509. lin. 19. ἀντιπαθείας ratione expellere: Adde

tametſi nonnunquam ea phraſi vtatur: atque ſi in verbis eſſet facienda vis noſtræ ſententiæ palam ſuffragari videretur. Inquit enim de Natura à purgante medicamento patiente loquens, Et patitur ſine æſtuatione & lucta ſuperfluitates corporis expelli. Imò gaudet in earum eductione ſic exonerari molẽ, ſicut ſi proprio motu expelleret.

FINIS.

Hæc subiungi debent annotationi, quæ ad Pag. 53. in fine paradoxi secũdi, præposita est, huius lib, pag. 136.

Quod verò postremo loco ex Auicenna recitaui, (id etiam hominibus sanis cõtingere posse, & quibus phlegma copiosius fuerit, eos absq; cibo diutius agere, quia ipsum alimenti subeat vicem.) modò explicatis nõ repugnat. Quippe omnibus vel lypis & tonsoribus (vt est in prouerbio) notum est, eos sanos quicunque non decumbunt, tametsi non integra sanitate, imò neque laudabili, fruantur: quales fuisse coniicimus ac supponimus, quos prophanæ historiæ narrant δείτους diu vixisse. Etenim decumbentes valde pituitosos per multos dies ferre ἀποσιτίαν, quam δίψα comitetur, nulli mirum fuerit, nec annotatione dignum. Hominem verò sanum, hoc est domo egredientẽ, & solitis muniis perfungẽtem, absque cibo non solum dies multos, sed etiam menses & annos transigere, miraculo proximum est. Verum autem miraculum & Dei omnipotentis opus, integrè sanum, & ab aliorum vulgari conditione minime alienum, absque vlla edendi necessitate: vel integrũ diem sustinere: quum qui bene valet, & sobrie viuit, quotidie semel (vt minimum) esurire soleat.

Hæc διαβόλους καὶ δαιμονας ab istius enarrationis prophanatione auertant, quibus



bus est peculiare etiam sacram paginam corrũpere, & in alienum pessimúmque sensum detorquere, impudentissimè mentiri, & maledicere, animorum concordiam dissoluere inimicitias colere, inuidiam crepare, & nunquam non quibus nocere queant modos excogitare, piisque omnibus esse infestissimos. Deus misericors parcat hominibus quicunque ab eiusmodi furiis agitati, earúmque veneno afflati & infecti, similem naturam induunt & referunt: quósque ab istis nequissimé tractari patitur, patientiam (quæ omnia vincit) & mansuetudine bene muniat. Amẽ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EORVM QVÆ IN LIBROS DE
DIFFERENTIIS MORBORVM ET SYMPTO
matum; ac de Conuulsione & Affectibus
cerebri tractantur, Index copiosus.
Prior numerus paginam, alter
lineam ostendit.


A

Abcessus, quid 46.22
Acrochordones tumores præter naturam sunt 33.1
Actio notior quam facultas 73.24
Actio læsa quæ 73.18
Actio sola à morbo immediatè læditur 74.14
Actio læsa sola nullo mediante morbum sequitur 73.14
Actio musculorum, motus est 91.18
Actio nullius partis, essentia illius illæsa manente, offendi potest 27.23
Actio tantũ partium vim sentiendi ac mouendi habẽtium interdum perit, ipsis haud quaquàm affectis 27.9
Actione peculiari instrumenti læsa, morbus necessariò est in organo 28.26
Actiones alia aliis succedunt 21.19
Actiones omnes essentiã constitutam habent in fieri 101.24
Actiones in mutatione tantum consistunt 65.23
Actiones quot, totidem facultates subesse oportet 21.17
Actiones læsæ differentiæ quatuor 74.22
Actiones totius organi quarum occasione læduntur 34.26
Adstrictio temperamentum sequitur 29.15
Adstringentia qua ratione robur addunt 13.27
Aegrotãtes plurimi curationem appetant 137.10
Aer frigidissimus & humidus 7.5
Aer balnei corpori occurrẽs, cur horrorem aut rigorẽ inferat. 144.5.10
Affectus tripliciter aliis partibus cõmunicatur 42.2
Affectus diuersi diuersis tolluntur remedijs 48.19
Affectus exiguus partiũ aliquem vsum organo præstatum, actioni totius instrumẽti nocere nõ potest, vehemẽtior potest 25.26
Affectus totius instrumenti qui verè sunt 49.20
Affectus qui morborum causæ dicendi 50.4
Affectus quomodo morbus, & quomodo causa morbi dicitur 26.2.5.13
Affectus corporis appellantur omnes qualitates secundæ 87.1
Affectus in conuulsione, cerebro necessariò communicatur 95.29
Affectus quamplurimi mortuis quoque superesse 101.11
Affectus præter naturam tres esse amproprie dici 67.26
Affectus corporis in quatuor diuidi tantũ à Gal. 79.3
Affectuum soporosorum causa, quæ 120.18
Αἱμορραγία sanguinis effusio est 81.26
Anastomosis ad vnitatis solutionem minimè refertur à Gal. 40.28
Anastomosis, quid 41.7
Anglicus sudor 55.27
Aia substãtia simplex 5.28
Anima actus primus corporis organici in potẽtia vitam habentis 69.13
Anima omniũ rerũ cognitione p̃dita obliuiscitur omniũ cũ in præhumidũ fœtus corpusculũ demergitur 119.20
An qualitates omnes mutuæ præter naturam sub eadẽ symptomatis specie contineantur 78.17
Ἀποπλῆξια soporosus affectus 120.15
Ἀπόσημα, ἀπόσασις, vel ἀπόσημα dici de eadem re à Gal. 47.1
Ἀπόσπασμα laceratio est in ligamento facta 40.8
Ἀποσπασμα instrumentorum

Universidad de Deusto Biblioteca



rum duntaxat pathemata propria 40.12
Apostata quis dicatur 47.20
Apostemata ab Arabibus tumores vocata, & melius 46.6
Aqua humidissima & frigida 7.6
Aqua feruens corpus attingens cur rigorem excitat 144.4.10
Argenterius solus actionem reiecit in morbi definitionem 10.26
Argenterius negat dolorem & voluptatem ad tria genera symptomatum pertinere 74.23
Aridiora, quædam frigida, quædam calida sentiri 7.8
Ariditas ventriculi non requiritur ad mouẽdum singultum 109.9
Articulorum laxitas vel cõstrictio nimia qui morbus dicatur 20.27
Artifex vnus idemq; variis instrumentis diuersa plerumq; opera condit 6.1
Artifex inepta instrumenta habens perperam agit, & operis materiam deuastat, nullo errore in eius disciplina deprehenso 74.4
Ασίτους omnes valetudinarios esse oportet 137.2
Ascarides quomodo causa morborũ est solutionis continui 33.14
Astutus qui cerebri siccioris est 114.14
Atheromata tumores præter naturam sunt. 33.2
Audax est qui calidioris cerebri est 114.8
in Audibili qualitate præter vocem abolitam auctam vel diminutam, alia constituitur noxa 80.11
Augetur id tantùm, cuius perfecta est forma 58.27
Augmentum morbi quale 58.13

B

Bilis ex vulnere & sanguinis profluuio ferocit magis 97.12
Bubo phlegmone est glandularum 46.20





C

Calculus superfluè in genere morborum in numero ponitur 30.21
Calculi morborũ causæ sunt 32.21
Calculi generatio, ex qua renum intẽperie fiat 12.17
Calefacientia magis inaniũt quàm repleant 108.13
Caliditas oscula vasorum aperit 20.25
Caliditas excellentior permanens est 60.19
Caliditas, res simplex, auctionem ab antecedente vel externa causa acceptam seruat, ipsa non præsente 61.24
Caliditas & siccitas æqualis in hecticis nullo dolore afficit 100.6
Callus ex tumoribus præter naturam censetur 33.3
Calorem immoderatum quæ arguant 117.15
Calor natiuus spiritus implatatus etiam dicitur 8.15
Calor in sicciori subiecto acrior fit 97.5
Calor excellẽs nõ est morbus, sed morbi causa 68.14
Caloris reuocatio fit quum dolor excitatur 145.1
Cãcer vlceratus vnicus morbus, sed cõpositus 44.20.23
Caries vlcus in osse 39.14
in Caro ventriculos magis quàm cerebri substãtiam affici 125.6
in Caro principes actiones cessant, ac sensus omnis & motus ferè perit 125.23
Caros in quo conueniat cum apoplexia 125.28
Κάρος multis de causis accidit 125.1
Κάρος soporosus affectus 120.15. & 125.12
Κάρος Barbaris Subeth vocatur 124.18
Κάρος lethargo simillimus, eiúsque symptomatum, quæ 124.20
Κάρον vehementiores & acutas febres sequi 124.25
Κατάληψις quid 127.28
Κατάληψις soporus affectus 120.15
Καταφορα pigra ad lethar-

Universidad de Deusto Biblioteca



gum tam propè accedit, quàm ad phrenetidem cataphora simplex 124.8
Καταφορὰ vtraque fit potius vapore quàm humore cerebrum implente 123.20
Καταφορὰ media inter phrenitidem & lethargum 122.10
Cataphora duplex 122.15
Cataphora lethargicorũ propria, quæ 122.20
Cataphora cum delirio ac vigilia quomodo appellatur à Galeno 122.23
Καταφορὰ ἄγρυπνος duplex earúmque symptomata, quæ 122.27, & 123.3
Καταφορᾶς simpliciter dictæ symptomata quæ 123.10
Καταφορᾶς pigræ symptomata, quæ 123.16
Cataphoræ omnis causa, quæ 123.20
Κατασκευὴς quid 69.4. varias subit mutationes 79.1
Catocus affectus est cerebri, & qualis 128.6
Catocus vel catalipsis à qua causa fiat 128.17.23
Catocus vniuersi corporis rigiditatem infert 128.26
Causa morbus, & symptoma eidem, eodémque tempora simul accidere possunt diuersa tamen ratione 69.26
Causa materialis vertiginis & epilepsiæ 130.3
Causa morbus & symptoma non continentur sub vno eodemq́; genere 69.22
Causa morbi dicta triplex habet genus 68.2
Causa absoluta morbi à quo partes conuelluntur, quæ sit difficile dictu est 108.25
Causa singultus & conuulsionis eadem 109.7
Causa conuulsionẽ excitans vnica 95.14
Causa proxima & morbus quantum inuicem differant & conueniant 62.5
Causa sublata omnis effectio cessat 61.29
Causa lethargi & comatis eadem 124.14
Causa conseruãs & fomes nuncupata quæ 60.2

Cau



Causa in efficiendo essentiam constitutam habet 59.11
Causa legitima rigoris horroris & refrigerationis quæ 143.31
Causa morbi ex accidenti & secundariò actiones labefactat 50.8
Causa quomodo permanẽs esse potest 59.13
Causa, quæ propriè dicatur 56.18
Causæ ratio est morbum præcedere 66.18
Causæ morborum in qualitate, quantitate, & situ, quæ sint 65.4.5.9
Causæ singulares vna cũ suis effectis actu adsunt & tolluntur 56.31
Causæ cõtinentes morbos omnes comitantur 59.20
Causæ cõtinẽtes morborũ partium dissimilarium 61.18
Causæ intentæ & extrinsecus occurrentis ratio diuersa 144.1
Cerebri calidioris existens, qualis sit 114.5
Cerebri frigidioris existens, qualis 114.9.
Ccerebri humidioris existens qualis 114.11
Cerebri siccioris existens, qualis 114.13
Cerebrum non est superpositum ad cordis generationem 116.30
Chordæ instrumentorum in arido & squallente, cubiculo æqualiter exiccantur 99.19
Christum 40. dies miraculosè ieunasse 136.20
Christus quo medio fluxũ muliebrẽ inueteratum sanauit. 138.17
Cibus, malè confectus in febri citãtibus excrementum dici meretur 84.24
Coctio melior si fit dormientibus, statim ab ingesto cibo dormiendum 141.7
Color rubicundus, vel roseus ex longitudine morbi pallor omnino cedit 79.23
Color deprauatus in corpore qualis 79.27
Compositorum morborum ratio vna, sint vna ipsorum est natura 51.30
Cõpositorum morborum qui

Universidad de Deusto
Biblioteca



*proprie ad totum instrumentum referantur* 52.17
*Commotio subita non potest fieri ab ariditate & euacuatione* 98.12
*Cõma soporosus affectus est* 120.14
*Cõma absolutè, quid* 122. 17
*Cõma simplex à lethargo nõ destinguitur* 124.10
*Congelatio non potest referri ad inanitionem & repletionem* 107.29
*Congelatio ac rigor ex ingenti frigore cõtracta non est conuulsio* 106.30
*Connexi morbi qui dicantur* 42.18
*Connexorũ morborum priore non sublato, vix posterior eximi potest* 43. 6
*Consequentes morbi qui dicãtur, & sint* 42.11
*Constitutio quid, & quotuplex* 2.9
*Constitutio prauа vniuspartis vniuersum organũ corrumpit* 50.1
*Constructionis vitium nihil nocet parti similari, sed soli organo* 24.11
*Contractio sit in partem nerui minus exiccatam* 99.3
*Contractio qua mortis interuentu non cessat, rigiditas dicenda* 92.23
*Contusa quæ dicantur* 39. 22
*Cõtusio in ossibus fractura dicitur* 39.26
*Conuulsio vt symptoma dicitur, ad aliquem morbũ proximè sequitur* 90.31
*Conuulsio ex vigiliis malum* 97.9
*Conuulsio affatim irruit, & turbulentum quendã motum excitat* 99.10
*Conuulsio si ab ingenti exiccatione fit, cur hectica febre laborantes omnes in ipsam non incidant* 94. 16
*Conuulsio fit ex crassiori humore* 102.14
*Conuulsio propriè dicta à frbre, & assumptione validè calefacientium grauior euadit* 107.24
*Cõuulsio nihil aliud est quàm inuita & violenta agitatio* 111.12
*Conuulsio quid sit, & quarum partium* 88.20
*Conuulsio in quo differat à voluntaria motione* 88.28, & 89.26
*Conuulsio etiam fit contractione musculi agentis, & oppositi relaxatione ac quiete* 88.29
*Conuulsio omnis non est symptoma solius morbi* 90. 19
*Conuulsio motu desinitur* 91. 29. & 95.7
*Conuulsio nulla dicenda permanens, fixa, stabilis, confirmata & absoluta* 92. 2
*Conuulsio non est iusta musculi contractio* 92.31
*Conuulsio canina, mandibularum musculorum paralysis* 93.28
*Conuulsio quædam est vnitatis solutio in partibus nerosis* 95.18
*Conuulsio grauior sequitur, quo partes delicatiori sensu pradita sunt* 95.20
*Conuulsio quando excitetur* 96.23
*Conuulsio vehementissima stomacho lacessito, aut tenui meninge in epilepsia* 95. 22
*Conuulsio ore ventriculi lacessito accidens, non prius desinit quàm euacuata sit materia* 96.8
*in Cõuulsione nihil obstat quominus spirituum copia effundatur* 111.8
*Conuulsionem non accidere ex neruorum exiccatione* 100.31
*in Cõuulsione difficili neruum vel musculum transuersum incidendum* 96.3
*in Conuulsione cur fit retractio potius cerebrum versus, quàm in contrarium locum* 90.4
*Conulsionem ac motum voluntarium ad immobilitatem non referri* 91.27
*Conuulsionem symptoma esse solius morbi* 89.23
*Conuulsionem motum esse depranatum* 88.10
*Conuulsionem neque ad ina-*

Universidad de Deusto Biblioteca



nitionem neque ad repletionem proximè sequi 88.11
Conuulsiones per sympatiam quæ dicantur 96.11
Conuulsionis species duæ 91.7
Conuulsionis causa omnis ad irritationē refertur à Galeno 109.21
Conuulsioni febrem superuenire melius est quàm febri conuulsionem 107.15
Conuulsioni aut tetano febris superueniens, soluitur 101.12
Conuulsionis causa comitans phrenitidem & febres ardentissimas, quæ 100.24
Conuulsionis proxima causa non est repletio aut inanitio ariditasue 108.16
Conuulsiorij motus longe robustiores voluntarijs 91.2
Corpori humano quinque accidere solent 56.10
Corroborantia medicamenta refrigerant vel exiccant. 21.28
Corrugatio sequitur ad inæqualē aut subitam humidi absumptionem 99.25
Corruptio alia perfecta, alia minimè cōsumata, & quid vna quæque sit 22.15
Crassities & tenuitas materiæ copiam vel inopiā sequūtur 20.9
Cruditas non est affectus ventriculi vt pars similaris considerata 18.3
Crystallinus humor præcipua oculi pars. 24.9
Cur potius actio quam facultas in morbi definitione assumpta 73.25
Cur in vulneribus capitis tāgentibus cerebri panniculum, accidat resolutio in latere vulneris, & spasmus in opposito 94.12
Cur duo symptomatum generà in morbi definitione non ponuntur 72.15
Curatio per contrarias qualitates perpetuò fit 19.14

D

Decubitus quid apud Latinos 46.23
Deleteriæ qualitates dupli-



ces. 17.5
Deleteriæ qualitates robur partis dissoluūt, dissipant, extinguunt & suffocant innatum calorem 17.8
Delicati ac molliores à leuissimis quibúsque obiectis læduntur 75.23
Deliramenta ferina fieri à flauabile præassata 115.23
Densitas temperamētum sequitur 20.12
Desipientia ex vigilijs, malum 97.10
Διαβήτη quid 81.30
Διαδιξία quid apud Hippocratem 48.14
Spiritus omne organum omnibus sensibus 122.19
Sternutatorium quid 33.17
Stoechas quare miscetur his quæ ad caput præscribuntur 9.27
Succi herbarum mediocrem coctionem substinent 65. 20
Succi radicũ plurimam decoctionem ferunt 65.10
Succi fructuũ minimam coctionem substinent 65.2
Succi concreti qui sint 11. 29

Suffi

Universidad de Deusto
Biblioteca



*Suffitus in forma trochiſcorum preparantur 35.3*
*Synochus febris duplex 110.7*
*Symptoma duplex 120.10*
*Symptoma omne effectus morbi eſt 121.27*
*Syncopales febres ex quibus fiant humoribus 109.13*
*Syrupi vſuales qui dicuntur 27.3*
*Syrupus quid ſit 26.3.29*
*Syrupi magiſtrales qui 27.6*
*Syruporum alij ex ſuccis alij verò ex infuſione vel decoctione parantur 64.28*
*Syrupi ex crudo ſucco inſolari debent 65.22*
*Syrupi ex aceto conſtantes quibus vaſibus coquendi 66.8*
*Syrupus limpidior euadit quo frigidius eſt expreſſum 76.28*
*Syrupus quando iudicatur ſatis coctus 77.14*
*Syrupi magis coquendi ſunt æſtate quàm hyeme 77.31*
*Syrupi qui diutius coquendi & quare 78.4*
*Syrupus ex melle paratus minore eget coctione quã è ſaccaro 78.25*
*Syruporum differentiæ variæ 80.11*
*Syruporum diuerſæ facultates 80.21.& 82.7.& 84.4 & 87.5*
*Syrupi calefacientes & humectantes qui 80.31*
*Syrupi calefacientes & exiccantes qui 81.6*
*Syrupi refrigerantes & humectantes qui 81.17*
*Syrupi refrigerantes & exiccantes qui 81.25*
*Syrupi incidentes & attenuantes qui 82.18*
*Syrupi incraſſantes qui 83.5*
*Syrupi detergentes qui 83.14*
*Syrupi adſtringentes qui 83.19*
*Syrupi digeſtini humoris biliosi & pituitoſi qui 84.17 18*
*Syrupi Hypnotici qui 85.8*
*Syrupi lenientes qui 85.15*
*Syrupi expectorantes qui 85.19*
*Syrupi exobſtruentes qui 85.31*
*Syruporum Alexiiteriorũ duplex facultas 86.21*
*Syrupi diuerſas corporis partes reſpicientes qui 87.5*
*Syrupi Cathartici qui 87.29*
*Syrupi per ſe aſſumpti minus alcè penetrant & tardius agunt 80.6*
*Syruporum dilutorum facultas 89.9*
*Syrupi quibus affectibus diluti exhibendi, & quibus nõ 89.15.& 90.22*
*Syrupi decoctionibus diſſoluti præſtatiores ſunt aquis ſtillatitiis 91.6*
*Syrupi maximè omnium diluuntur ad remittendam ſitim 91.18*
*Syrupi pluribus ingrediũtur medicamentis 92.3*
*Syruporum doſis varia 92.11.& 93.9*
*Syruporum aſſummẽdorum tempus conuenientius 94.1.& 96.30*
*Syrupi mitigantes ſitim quonã tempore dari poſſunt 95.1*
*Syrupis somniferis minus vtẽdum eſt in morbis chronicis 95.10*
*Syrupi hectici quocunque tẽpore tuſſis conueniunt 95.14*
*Syrupi expectorantes quando exhibendi ſunt 95.16*
*Syrupis deobſtruentibus quã do vtendum ſit 95.24.& 96.4*
*Syrupi ſomniferi quando exhibendi 97.18*
*Syrupi expectorantes, lenientes deobſtruẽtes corroborãtes,& alexiteris qua hora exhibendi ſint 98.1.6.12.23*
*Syrupi purgantes omnes ferè diluuntur 99.16*
*Syruporum purgantium doſis diuerſa 99.25*
*Syrupi bilem euacuantes in minori ſummuntur quãtitate quàm pituitam & craſſos humores ducentes 100.12*
*Syrupi euacuantes quo morbi tempore exhibendi 101.12*

T

*Abellæ ſolidæ ſum & diuerſarum figurarũ 29.9*

*Tamarindi pondere magis quàm numero definiuntur* 20.1
*Tamarindi acido sapore ledunt ventriculum* 46.3
*Tartarum succi excrementũ est* 13.1
*Tempus anni, cœli status & regio quid indicent* 119.16
*Terrarum species variæ & quæ sint* 12.6
*Turbith cur salem gemmeum adiungimus?* 8.3
*Tragemata diuersa quæ* 25.7 12
*Trociſci vnde dicti, & ipſorũ variæ formæ* 28.30
*Thuronci qui apud Monſpelienſes* 29.16

V

*VEnæ ſectio præcipuũ remedium feb. putridarũ* 126.24
*Venena in certum diem exhiberi non poſſunt* 134 16
*Ventriculo non conceduntur relaxantia abſque adſtringentibus* 1. 24
*Ventriculus chylo nutritur* 133.15
*Veſſica vrina nutritur* 133. 15
*Veſſicatoria quæ* 36.31
*Vires ſui obſeruationem ſolã aliquando inſinuant* 119. 22
*Viſio quomodo fiat.* 122.21. *Eſt in vidente & patiente ibidem*
*Vnguentum linimento ſpiſſius* 30.9

ΦΑΡΜΑΚΕΥΤΙΚΗ.

# ARS COMPONENDI MEDICAMENTA,

AVTHORE

LAVR. IOUBERTO

*Valentino Delphinate, apud Montispelienses artis medicæ professore clarissimo.*

***

# IOANNES POSTHIVS
## ARTIS MEDICAE
## studiosis, S.

VT nihil deesset eorũ quæ à D. Iouberto præceptore nostro charissimo accepimus, etiam ea putaui addenda, quæ ille proxima superioi æstate de Arte componendi medicamenta, præter ordinariam suam prælectionem, dictando nobis communicauit. Et si enim ea, vt & superiora pleraque, imperfecta sunt & manca, tamen vel eo nomine ædenda duxi, vt & ipse (licet occupationibus multis iam iisque grauissimis prematur) in iis perficiẽdis successuis horis laboraret, aliorum simul incitatus adhortationibus citius ea nobis absolueret. Quòd ad componendi artem hanc attinet, nemo, arbitror, est qui non videat quàm ea futuro medico sit necessaria. Nam sine hac neque de medicamentis ab aliis compositis iudicare poterit, non magis quã cæcus de coloribus, multòque minus ipse si aliis destituatur, vrgente necessitate, vel leuissimum medicamentum conuenienter componere sciet. Quod quàm sit turpe, & medica professione indignum, vel idiota quispiam iudicabit. Cæterùm videre mihi contingit neminem, qui hanc Medicinæ partem tam vtilem ac necessariam tali nobis methodo, & pari facilitate explicatam tradi-



diderit. Quare vt autor eam, vt est pollicitus, tandem perficiat, ab omnibus qui studiis bene consultum volunt, admonendus atque adeò impellendus erit, quod ille (qui eius est in studiosorum commodis promouendis ardor & cupiditas) vel quieti noctur næ horis aliquot subductis præstare nõ grauabitur.

Addidimus præterea eiusdem in Syrupos dictata, nimirum de cõficiendi modo, & vtendi ratione: vbi de iis tantùm sibi agendum putauit, quos hodie parari nouit, & vsurpari frequentiùs. Hunc tractatum, licet exiguum, tanti faciunt studiosi, vt tanquam rem sacram eum seruent reconditum, nec facile communicare aliis velint. & noui ipse qui aureis sentatis decẽ se pancis illis chartis carere nolle, sanctè affirment: quod ad Medicinam rectè faciendam maxim videantur esse momenti. Dictauit autem Autor illa cùm Syrupos ex Valerii Cordi dispensatorio superiori anno explicaret publicè: idemque & in Confectionibus aromaticis, & Opiatis lenitiuis ac solutiuis, pilulis, vnguẽtis, emplastris, aliisque medicamentorum formis se factiorũ pollicetur. Quod vt facere possit, fœliciter vitam illi ac valetudinem optimã Deus opt. max. quàm diutissimè concedat, ex animo precamur, vosque, quorum ille commodis vnicè studet, idem precari nobiscum volumus.

valete.

* *
*

# IN ARTEM COMPONENDI medicamenta, siue φαρμακευτικὴν προλεγόμενα, auctore D.D. Laur. Ioubertο.

PRIVSQVAM ad compositionis medicamentorum rationem accingamur, nonnulla sunt præmittenda, quorũ cognitio præcedere debet, ne cùm sæpius in sermonem incidet, subinde à proposito ad eorum explicationem diuertẽdum nobis sit. Adde quòd omnis doctrina & disciplina ex præexistenti cognitione progreditur, vt admonet Aristoteles. Sunt verò ex iis quæ præscire oportet, alia huius tractationis propria, vt quare medicamenta componi debeant: quæ sit medicamentorum componendorum materia, seu ex quibus componantur medicamenta, vocabulorum artis siue terminorum vt vocant explicatio, ponderum & mensurarum quibus hodie vtimur, necnon multiplicis compositorum medicamentorum formę cognitio. Quæ hoc opus præcedunt, non tamen





tamẽ ei peculiaria sunt, ferè vniuersa Medicina continetur, sed proximè antecedũt, simplicium medicamentorũ omniũ quib⁹ vtimur, naturę & facultatis scientia, eorundémque delectus & præparatio, ad hæc curãdi cuiúsque morbi vera methodus, quæ nihil pręter remediorum administrationem desideret. Hęc enim præcognoscat necesse est qui medicamentorũ componendorum rationem iam affectat, in qua Medicinę practicæ finis magna ex parte consistit. siquidem medicantis munus est ea omnia sedulò præstare, quæ ad sanitatem restituendam necessaria videntur. Inter ea verò φαρμακευτικὴ non infimum locum tenet. Sed ad illa tandem ser monem cõuertamus, quæ istius tractationis propria esse diximus, & quæ Medicinæ studiosus in φυσιολογίᾳ, & παθολογίᾳ, & τερα πευτικὴ fœliciter versatus ad praxin sese accingens ignorare, ideóque à fideli ac familiari præceptore requirere possit. Et quia de pharmacorum compositione instituturn est opus, quænam sit eorum mistionis necessitas primo loco doceamus. Medicamenta componere nos multę rationes cogunt, quarũ prima & potissima est, quia vix in aliquo simplici medicamẽto ęę omnes qualitates insunt quę indicationibus Medico propositis satisfaciant.

Universidad de Deusto
Biblioteca



Sunt enim magna ex parte cõpositi morbi (quanuis simplices à Medicis potissimum doceantur ac proponantur, quòd iis exactè cognitis facilè sit compositorum notitiam assequi ) quorum quisque peculiarẽ sui ablationẽ desiderat. Quinimò plerunque sunt inuicem contrarij, aut morbus cũ causa pugnat. simplex verò medicamentum simplici tãtùm morbo mederi potest. q si omnino simplex foret dispositio prẽter naturã, haud dubiè compositis nõ vteremur ( cùm vel in cõpositis ac complicatis morbis ea sint præstãtiora remedia, quæ ex pauciorib' simplicib' cõstat )si modò in præsẽti & ad manũ essẽt simplicia, quibus talẽ effectũ curare possemus. quæ quia fæpenumerò desunt, hinc altera cõponẽdorum medicamentorũ necessitas oritur. Nam si exẽpli gratia intemperies frigida, tribus numeris à naturali habitu recedens sic expugnanda, neque adsit medicamentum simplex, quod totidem gradibus à mediocritate distet, duo accipiemus, quorum alterum numeris quatuor, alterum duobus sit calidius, vel vno frigidius. Sic enim medicamentum efficitur, quod numeris tribus caloris symmetriam exuperabit. Galenus Empiricos ridet, q temerè quãplurima eiusdem speciei medicamen-

Libr. 3. Mus. ca. 2.



menta in eodẽ miscebant, quò nulli corporis naturæ deesset quod cõuenire posset. Atquî ô amiee, inquit, in commixtis speciebus non seruatur actio sua cuiusque substantiæ, si vt in vnaquaque substãtiæ specie non desit quod morbo curando quadret. Et quum in eius miscellæ multitudine vnum fortasse medicamentum laboranti sit vtile, contrà septem octóve ex vsu non sint, plurib' numeris obesse eiusmodi medicamentũ quàm prodesse constat. Ea igitur vera est componendorũ medicamentorũ methodus, vt ex contrariis saltem diuersis ineatur. Quid quòd vix aliquod reperias medicamentum, cui non insint qualitates aliquæ affectui nocentes, vt nonnullæ conueniunt? Rarum quippe est inuentu, quod alia parte non obsit, dum alia prodest. Hinc fit vt simplicia medicamenta aliis misceri debeant, quó eorum tollantur noxiæ qualitates. Ob id Rhabarbaro cinnamomum, vel spicam addimus, quando est obstructionum suspicio, & medullæ casiæ puluerem aniſi, vt flatus discutiantur. Cæterùm simplex medicamentum nonnunquam idoneum quidem instituto videtur, sed viribus est tardis & imbecillis, quas augere decet, vt morbo superando suf

do sufficiant: id verò aliorum permixtione fit. Eadem ferè ratione agarico zingiber addimus, & turbith salem gemmeũ copulamus, vt sint veluti calcaria, quæ vim medicamenti excitent & acuant. Sic enim crassam quoque pituitam non mo-
6. dò tenuem possunt expellere. Contrà quorumdam vis effrænis obtundenda venit, vt scammoniæ cuius simplicis pericu losus est vsus, nisi prius corrigatur. id quod fit vel quadam præparatione, vel aliorum miscella. Ob id etiam castorium opio adiungitur, & hyosciamo alium cæpa, vel semen rhaphani, & cortcibus mandragoræ absinthium, sinapi, aut quid simile. Sic quorundam vt metallorum acrimonia obtunditur admix-
7. tis pinguibus, oleis, vel axungiis. Ab his non multùm distant quæ viscerum principum robur fouent & conseruant, ne à noxiis medicamentorum qualitatibus offendantur, quę sanè mixturam esse necessariam satis conuincunt: uentriculo enim & hepati quanuis morbus ea postulet, relaxantia non concedimus absque astringentibus.

8. Sed & plerunque indigemus medicamentis quę diuersos aut etiam contrarios effectus simul præstent, vtpote quæ reſoluant & repellant, quemadmodum in phleg



in phlegmones incremento: proinde calida frigidis eo tempore miscere cogimur, vt chamæmelũ vel absinthium rosis aut santalis, quia in medicametis simplicibus nobis cognitis paucissima omnino sunt quæ tali proportione temperatas habeant contrarias qualitates. Non- 9.
nunquam in simplici medicamento nihil desideres quod ad actionem pertineat, sed quia non rectè accommodari potest, aut satis altè penetrare, aliorum quæritur auxilium, vt tales ei accedant conditiones. eam ob rem corallium cera, & oleo excipimus, vt parti ad motum hærenat, & emplastris quæ ex metallicis aut aliis ficcioribus constant, pinguedinem & oleum addere solemus, vt faciliùs extendantur & inhæresçant. Acetum & aqua vini stillatitia plerisque addũtur ad penetrationem iis quæ alioqui sola & per se conuenire possent. Huius ferè 10.
conditionis sunt quæ certa proprietate aliquam nostri corporis partem respicere creduntur: ea enim medicamentis affectui conuenientibus admisceri volunt practici, vt horum vis eò deducatur. Hinc ſtœcadem iis miscent quæ ad caput præscribuntur, eáque ratione medicamentũ aliàs vniuersale tunc proprium fit. Multa etiam à nobis compo- 11.

nuntur

nuntur conseruationis gratia: vt zingiber recẽs, & myrabolani, aliique fructus quos saccharo aut melle condimus: nam talia iam esse composita nemo negabit.

12. Postremò compositiones paratas habe- 5
ri necesse est, vt cùm non semper liceat simplicia quærere, sint ex multis conflata quæ illorum vicẽ suppleant, & in prõptu habeantur, dum præceps occasio vrget. Præter has (quæ præcipuæ sunt) 10
aliæ afferri possent componendorum medicamentorum occasiones, quas breuitati consulens statui silentio prætermittere. pauciſsimas tamen aut etiam nullas esse suspicor, quæ sub prędictis 15
non contineantur: nam quòd sit operæ precium antidotos habere, quibus ex variis simplicib⁹ compactis varios affectus profligemus, id prius potentia dictum est, vbi scilicet cõpositorũ necessitatem 20
inde monstrari diximus, quia sæpe remediis egemus quæ diuersos effectus simul exerãt. Itaque iam ad alterũ præfationis caput aggrediamur, & quæ sit cõponẽdorũ medicamentorũ materia explicemus. 25

Quæcunque sub cœli circumflexu habentur Medicinæ, vsui vario subiici, & medicamentorum materiem esse constat. vnde non iniuria illud etiam Dauidis Psalmist. interpretari possumus, Deũ opt.



opt. max. omnia sub pedibus nostris subiecisse, quibus tamen non alius quàm prudens Medicus dexterè vti nouit. Proinde sanè pleraque vulgo hominum 1 vel noxia, vel inutilia censentur: nos verò si quę in vsum non adhuc traxerimus, causamur eorum vires nobis incognitas esse, cùm ex similibus remedia petamus. Quę ex terra eruuntur, metalla sũt, 10 lapides, concreti succi, & terræ species. Metalla vocamus aurum, argentum, æs, auricalcum, stannum, plumbum, antimonium, chalybem & ferrum. Ex metallicis verò sumũtur æris squamę, flos, sco 15 ria, ærugo. Ex ferro squama, scoria, rubigo, cadmia, pompholix, seu tuthia, spodium, lythargyrus, ceruſa, minium. Lapidum, alii gemmæ dicuntur, vt adamas, hyacinthus, smaragdus, granatus, saphirus, sardonix, crystallum: alij 20 maiores & gẽmarum modo politi marmora vocantur, vt iaspis. cæteri absolutè lapides nominantur, vt armenus, cyanus vulgò lasuli, hęmatites, aetites, 25 berillus (quo scinditur vitrum) magnus, pyrites (quem marquasitam vocant) molaris, Iudaicus, lapis lyncis, pumex, gypsum. Calx autem ex vulgaribus lapidibus cõparatur. Succi concreti sunt alumen, nitrũ, aphronitrũ, & spumã nitri, sal

fossi

fossile, atramentum sutorium, chalcitis misi, tori, sulphur, hydrargyrus, sandaracha, auripigmetum, chrisocolla, gagates fossilis, carbo (Græcis terra ἀμπελίτης vocatus.) Agricola istis annumerat succinum, bitume, Naphtã & Cãphoram. Terrarum species variæ sunt, vt lemnium sigillũ, bolus armena, cimolia terra, creta, rubrica, ochra: hęc & multò plura ex fossilibus ad rem medicam sumuntur. E terra prodeunt plantarum innumerę species arborum, arbustorum, fruticum, suffruticum, & herbarum: quorum certè nullum ad profligandos morbos est inutile. Porrò ex his alia sumuntur integra vt quæ minora sunt: Aliorum verò quędam partes cæteris efficaciores deliguntur, radices, stipites, ligna, cortices, caules, trũci, medullę, germina, asparagi, folia, cacumina, flores, fructus, semina: & fructus quidem alias integri, alias eorum duntaxat cortices, nucamenta, caro, succus aut granula. Sic & seminibus quandoque integris opus est, nonnunquam sola mucçago requiritur, aut medulla, farina, furfur. Adhæc plantarum excrementa quædam in vsum venire solent, in quorum numero habentur lachrimæ, gummi & resinæ. Item agaricus, muscus, vsnea vulgò dicta, & viscus,



cus; Tartarum idest vini fœx doliis pertinacius adhærens, succi excrementum est. Ex animalibus propemodum infinita petuntur remedia, hominibus, quadrupedibus, volatilibus, aquatilibus reptilibus & insectis: quibusdam horum integris & nonnullorum certis partibus vel excrementis. Et ex hominibus quidem sanguis, pinguedo, renum & vesicæ calculi, vrina, stercus, strigmenta gymnasiorum, sputum, sordes aurium lac muliebre. Ex quadrupedibus verò (non tamẽ singulis) partes fermè omnes & excrementa quoque medicinæ inseruiunt, coria, pelles, caro, ossa, dentes, cerebrum, cor, pulmo, ventriculus intestina, iecur, testes, renes, priapus, vesica, cauda, medulla, pinguedo, sebum, sanguis, fel, lac, serum, butyrum, caseus, coagulum, pili, lana, cornua, vngulæ, stercus, vrina, lichenes equorum, oesypus, cineta, moschus. A volatilibus plurima supradictis similia mutuamur, & præterea plumas, ouáque. Aquatilia non modò sanguinem, adipem & semen putatum, vt quod sperma ceti appellant carnem suaque viscera & ossa iuggerunt: sed etiam testas, conchas & cõcharum opercula. margaritæ huc pertinent, quæ ex conhyliis depromutnur.

Ex repti-

Universidad de Deusto
Biblioteca



Ex reptilibus ſumuntur ſerpentum caro, adeps & exuuium, ipſiq́ue integri nonnunquam: item lacertus integer, eiuſdem caput & ſtercora, ſcincorum renes, lumbi & cauda. ſed iſta iam ἀμφίβια ſunt, vt etiam ranæ, quarum ſanguis expetitur, & quandoque integrum corpus. Ex inſectis, erucæ, cantharides, vermes, formicæ & earundem oua, aranei, apes, cicadæ, aſelli, blattæ piſtrinariæ, cimices lectularii, pulices. Denique animalium opera, ſericum, tela aranearum, mel, cera, propolis, nidi hirundinum. Mare quædã ſuppeditat pharmaca, nam præter ſal & aquam ſalſam, adarcen quoque & halcionia profert ſpongiasq́ue, duplex corallium, & quod pretioſiſsimũ eſt, ambar griſeu nuncupatum. Aquæ minerales omnes ſunt medicamentoſæ vt ſulphureæ, aluminoſæ, bituminoſæ, nitroſæ & ex his compoſitæ. Cæterùm aqua dulcis & ſincera quanta portione medicamentorum ſanè plurimorum compoſitionem ingrediatur, euidentiſsimum cuique eſſe poteſt, ſi vel oſcitanter conſideret, infinitas decoctiones ex ea fieri, vt aliorum medicamentorum vim in ſe recipiat. Quinetiam citra cocturam quædã ea diluuntur, vt acetum in oxycrato, mel in melicrato



melicrato.

Aer per ſe medicamentis miſceri non videtur, niſi fortè dum plurimùm atque diutius agitantur, aliquid aëris excipere dicas, vel ad iſtum referas mannam, quæ Græcis κερόμελι & δρωσόμελι vocataſuit.

Eodem modo neque ignis medicamẽtorum compoſitionem ingreditur per ſe, quanuis plurimorum mixtionem perficiat, ni velis cum Galeno, aquam calefactam ſimplicem non eſſe, ſed ex aqua & igne compoſitam affirmare.

At multò euidentius ignem habent quę vſta fuere, pręſertim ſi ad ἐμπυρεύματος extinctionem non deinceps lauentur. Ex his tandem patere arbitror: nihil eorum quæ ſub cœli circunflexu habentur, Medici manus effugere, eiq́ue vni meritò omnium rerum imperium deberi, quas ad vſus humanos ritè accomodet.

Terminorum ſeu vocabulorum artis, vt vocant, explicatio hac Iſagoge continebitur, cuiuſque ſuo loco. dum enim ſingula proferentur, ſtatim etiam quid illa ſignificent, explicabimus. Iam igitur ad Ponderum & menſurarum declarationem tranſeamus

Ponde

Ponderum vſitatiora nomina ſunt libra, vncia, drachma, ſcrupulus & granum: libra eſt pondus ʒ. xij. in vſu Medico atque eius nota eſt ℔. huius craſſiores partes ſunt ſelibra, ſeu libræ dimidium, quod ʒ vj. habet, ſicque notatur ℔. ß. & quartarius ſiue quadrans ʒ. iij. quem ſic exprimũt quart. Quartarij pars dimidia hoc eſt vncia cum ſemiſſe, quartarij ſemis dicitur, atque ita figuratur quart. ß. vncia quæ eſt libræ pars duodecima hanc habet notã ʒ. vel ℥ & ʒ. viij. complectitur. Semuncia, quæ ſic exprimitur ʒ. ß. eſt ʒ. iiij. Seſquuncia verò eſt vncia cum ſemiſſe, hoc eſt drachmarum duodecim pondus idem cum quart. ß. & hac nota deſignari ſolet ʒ 1. ß. Drachma vnciæ pars octaua numero ternario ſignificatur hoc modo ʒ. vnde ſi benè coniicio ternatium dicitur mercatoribus noſtris pars vnciæ octaua. quidam, vt ponderis nota cum numero confundi nequeat, charactere inuerſo vtuntur, atque ſic effingunt drachmam ƨ. Eius dimidium ſemidrachma vel drachmæ ſemis dicta iſtiuſmodi notam habet ʒ. ß. eſtque ϑ 1. ß. ſiquidem ʒ. in iij. ſcrupulos ſeu ſcriptulos diuiditur, quos hac figura deſignamus ϑ, & huius dimidium tali ϑ ß. Scrupulus viginti grana



grana continet, vt integra ʒ ſit gr. lx. granum ſic exprimunt gr. hoc iam minimum eſt pondus niſi granum partiri habeat vt etiam grani dimidium ſumatur, quod aliorum more addito ß. duplicato ad gr. ſignificabilis. Hodie non aliis ponderum nominibus vtimur: quia tamen frequens aurei mentio fit in vulgaribus diſpenſarijs, ſciendum eſt id ʒ 1. ß. denotare. ſic autem exprimitur aur. & eius media pars (quæ eſt ϑ ij. gr. v. hoc modo aur. ß. In explicandis viribus antidoti aſyncriti occurrit ſiciliqui pondus, quod interpretamur ʒ. ij. Ponderum & menſurarum: antiquis Græcis & Romanis vſitatorum aliæ fuerunt nuncupationes, quas hîc, quòd non ſint inſtituti noſtri, ſciens prætermitto. Id autem bona fide celare nõ poſſum, quod in noſtris ponderibus ineptè committitur non minimo ægrotantiũ incommodo. nam cũ Medica libra tantùm pendeat ʒ xij. negociatoria verò xvj. pleriq; pharmacopœi iisdem ponderibus aſſumenda pharmaca trutinant, quibus res alias venales. atqui mercatoriæ libræ tres quartarij medicam ℔. æquant. vnde medica ℔. ß. duabus vncijs negotiatoria leuior eſt. & medicus quartarius duntaxat ʒ iij. continet, cùm negotiatorius ʒ. iiij. pendeat. Eadem ratione quartarij

medici dimidium, semuncia leuius est ne
gotiatoria.

Vnciæ verò & minora iis pondera v-
trobique similiter se habẽt, cum ʒ.xij. ne-
gotiatoriæ, medicã ℔. perficiant. Ex qui-
bus intellige in crasioribus tantùm illis
ponderibus lapide (vt vocant) vno libra
dis errorẽ committi, videlicet, libra, seli-
bra, quartario & huius semisso. Negligit
verò magna pars Pharmacopœorum e-
iusmodi accuratam ponderũ distinctio-
nem, quòd præcipuarum virium medica
menta (in quibus sanè erratum foret gra
uissimum) minori quàm ʒ pondere limi-
tari soleant. Ast vbi medicamenta in ma-
iore quantitate sunt illis componenda,
vt quæ ad diuturniorem vsum parantur,
nisi ℔. medicam vbique obseruent, facilè
ab ea quæ obseruanda fuit simpliciũ præ
scriptæ proportione aberrabunt. Sed de
his hactenus: ad mensuras tandem veni-
amus.

Antiqui moris fuit liquida vt plurimũ
certis mensuris metiri non modò ponde
rare, quod & nostri in vino, oleo, aceto,
omphacio & aliis quibusdam hodie ob-
seruant.

Medici verò talia ponderibus limitãt
vixq; mensuris vtuntur excepto cochlea
ri, qp tamen certa mensura nõ est, cùm vul
gare cochlear quo vtimur variũ certè ma
gni-



gnitudine intelligatur à Medicis, dũ co-
chlear vnum vel duo pluráve sumẽda præ
scribunt. definiunt solùm crasiori quo-
dã modo, vt aliàs magnum, aliàs paruum
sit. Cochlearis autem mensura sumuntur
non modò liquida vt syrupi, aquæ stillati
tię, vinum & eiusmodi alia, sed etiam pul
ueres atque condita quæ restaurantia vo
cant. Metimur herbas manipulis præser-
tim virides: nam siccas ferè põderamus.
Est verò Manipulus quantum manu in pu
gnum laxius coacta complectimur, vel qp
indicis & pollicis extrema coniuncta cõ
tinent. Ea mensura notatur litera M. vbi
multò maiorem herbarum copiam requi
rimus, fasciculi præscribuntur, quos pri-
mis suis literis denotant, hoc modo fasc.
Est verò fasciculus quantum duabus ma-
nibus complecti possumus. Pugillus dici
tur quod summis quinque digitis accipi
tur, & P. significatur. Porrò nonnulla me-
timur etiam quantitate discreta siue nu-
mero & potissimùm fructus: (rarò siqui-
dem herbarum folia aut summitates nu-
mero definiuntur) vt caricas, pruna,
uuas passas, myxa (sebesten vocant,)
zizypha, seu iuiubas, myrobalanos: & nu
mero quidem vel simplici, vt cùm x. vel
xij. vel amplius præscribuntur, aut dupli
cato, vt cum prima vj. vel viij. vel x. expri
mimus.

Universidad de Deusto Biblioteca



Tamarindi pondere magis quàm nu
mero definiuntur, quia rarò integri ad
nos perueniunt, sic & passulas exacina-
tas siue à gigartis repugnatas sæpissi-
me ponderamus, quemadmodum & pru
norum pulpam, aliorũque fructuum in fa
ciendis opiatis, sic etiam amygdalas pi-
neas, nuncleos & minutiores fructus à
suis corticibus liberatos. Numerum hoc
modo significant N°. vel Nu. paritatem
verò isto Pa. vel Par. Nihil superesse vi-
deo nisi vt admoneam quandoque non
definiri quantitatem eorum scilicet, quæ
ministris arbitrio ac iudicio relinqui pos
sunt, vt aquæ aut alterius liquoris in de-
coctionibus, mellis aut sacchari in dul co
ratione, cerę, olei, resinæ terebinthinę, &
picis in vnguentorum ceratorum & em-
plastrorum confectionibus atque tunc
q. s. ascribere solemus, vt significetur quã
tum sufficit, vel quantitas seu efficiens.
Eiusdem planè rationis est, quod plerun
que præscribimus, vini aut aceti parum,
vel guttas aliquot. Verùm vbi efficacius
fuerit medicamentum vt aqua sublimati,
quo id fuerit maceratum, aqua separatio
nis auri (quam à summis viribus fortem
appellant) oleum ex vitriolo & alia hu-
iusmodi, solemus guttarum numerum de
finire hoc modo gut. 1. vel 2. vel iij. guttas
verò singulas præfiniunt palea iustæ cras
situdi-



situdinis liquori immissa, & deinceps gut
tatim in compositionem distillante.

Cæterùm enumeratis aliquot simpli-
cibus, si omnia æquali mensura vel ponde
re accipi velimus, ana dictionem apponi
mus addita ponderis aut mensuræ nota,
vt an. M. 1. vel an. ℥. 1. Illud siquidem ἀνὰ i-
dem est quod singulorum: & cùm ministri
iudicio relinquitur sumendorum quanti
tas, ana scribitur absolutè, vel ana par-
tes æquales, hoc modo est ãn. ꝑt. æq. Ex
iis quæ de põderib' & mensuris hactenus
tradita sunt, facilè est colligere quibus
simplicium medicamentorum quantitas
significari debeat. Satiùs tamen fuerit il-
lud explicatiùs tradere, vt si quid fortè
prætermissum fuerit ἐν παρέργῳ & commo-
dè adiiciatur. Nullum est medicamen-
ti genus quod stateræ iudicium non
subeat, seu liquidum, seu solidum extite-
rit, aut mediæ consistentiæ. Herbæ recen
tes ferè semper manipulis mensurantur:
vbi tamen exactior obseruatio est in ani-
mo, hæ quoq; librãtur, vt videre est in sy
rupis à Mesuæo & Nicolao præscriptis
siccæ trutinari ac ponderum notis limi-
tari solent, quia sunt efficaciores, & à ma
nu mensurante friantur: flores in maiori-
bus decoctionibus plerumque pugillis
metimur, aliàs ad pondus præscribimus.
Idem accidit cerealibus & leguminibus,

Universidad de Deusto Biblioteca



vt hordeo, oryzæ, fabis, ciceribus, lentibus, lupinis. Reliqua ſemina ponderātur vbiq;, niſi quādoq; numeris diſcretis limitētur, vt piper, ꝙ tamē rarò fit, fructꝰ integri ſępiſsimè numero definiūtur. Eorū verò caro ſeu pulpa, pōdere, vt ꝑmonuimꝰ.

Plantarum partes cæteræ, radices, inquā, ligna, cortices, lachrymæ, gūmi, ſucci, adhęc foſsilia quæuis, animaliū partes & excrementa, ac quæcunq; præter antedicta in cōpoſitionem medicamentorum veniunt, pōderib. ferè tantū definiuntur, præterquàm auri folia ſeu bracteæ, quæ numero pręſcribi ſolent, & ouorū vitelli q̄ numeris nō pōdere definiūtur, vt albumina magis librantur. Ad quātitatis limitationē etiā ꝑtinet quā Doſin dicimꝰ, hoc eſt dationē vel exhibitionē medicamēti: ꝙ aſſumendis tantùm cōuenit, præſertim verò ſyrupis, medicamentis purgantibus & opiatis, vt cū præſcribimus ſyrupū vel iulep ꝓ vna doſi, ſemel aſſumēdū & ꝓ tribꝰ. quatuórve doſibꝰ. ſ. in tres partiendū vices: aliorū verò doſin eſſe dicimus ad ℥. j. ij. iij. & ℥. ß. quart. &c. Quādoque modo craſsiore quantitatem limitamus: nempe eorū quę minus efficacia ſunt. vt quando accipiendū iubemus ſingulis vicib. ad magnitudinē auellanę, caſtaneę aut nucis iuglandis (comeſtibilē noſtri dicunt) quod de opiatis alterantibus (eas omnes vulgus



gus cordiales vocat) facere cōſueuimus.

Medicamentorū compoſitorum formas deinceps exponamus, quod nobis fuit poſtremo loco propoſitū. formā verò hic appello non Phyſicā illā, ſed oculis peruiā & ſpectabilē qualitatem, vt plurimùm arte paratā, quę cōſiſtentia vel figura maximè determinatur. Quo loquendi modo medicamēti formā ſiccā, liquidā, aut mediam dicimus & formā pilularū, ſphæricā, tabellarū quadratā vel rhōboidem. Trochiſcorum lupinarem appellamus. Liquidæ formę ſeu cōſiſtētis medicamenta ſunt, clyſter, iulep & ſyrupus, apozema, bocetū, emuiſio, potio, gargariſma, lotio, balneū. Pulueres, vt dictio ſonat, friati & ſicciores ſunt, tabellæ & trochiſci cōpactam habent formam. Pilularū quoq; genera & ſicciora & duriora ſpectātur, in grādiores maſſas coacta, nō tamen vt prędicta, fragilia ſunt & facilè pulueranturr. Opiatæ forma eſt liquidæ & ſiccæ media, melli concreto aſsimilis, neq; dura, neque iam fluxilis. Eclegma, Looch Arabibꝰ dictū liquidioris, ſed viſcidioris eſt cōſiſtentię, ad mel liquatū ferè accedens. Cōdita ſeu reſtaurātia, vt vocāt, inter puluerē & opiatā non prorſus media ſunt cùm ad pulueris formā propiùs accedant. Hęc ditiorib. inaurantur aliàs ſimplici, aliàs duplici bractea aurea. Cōdita

magis propriè dicta, quas vulgò conſeruas appellant, varias habent formas pro conditæ materiæ diuerſitate: Quippe aliàs integri fructus condiuntur, aliàs eorũ caro tantùm vel cortex: aliàs radices, herbę, flores, ſucci cydoneorum, quorum ſingula diuerſam ab aliis formã retinent. Huiuſmodi verò conditorum ſummæ differentiæ duæ ſunt, quòd alia vi ſolidiore ficcioreque forma condiantur ſaccharo incocta, alia in liquidiore ſyrupo conſeruentur, quæ eo nomine liquida condita vocant. Huc referri poteſt ex nucleis pineis conditum, quod pignolatũ vocant, etſi placet teſtudinatum quod hîc tortugatum: item confectio manus Chriſti nominata (ſed alia eſt in tabellæ formam) nec non marſipanes ex amygdalis & nucleis pineis tuſis ac in paſtã redactis, ſaccharoque exceptis. Hæc enim à ſolidioribus conditis non multùm diſidẽt. Eiuſdem farinæ ſunt paſtæ regiæ ſeu regales dictæ & pãtaleones. Cæterùm mattii panes ſunt veluti placentæ quæ furno coquũtur: reliqua verò minimè furno coquuntur, ſed ſaccharo cocto incraſſata ſunt: atque talia in buccellas ſeu morſellos, vt vocant, diuiduntur: quibus aliquot in locis aureæ bracteæ inhærent. Morſelli quoque ſunt conditi, ſed in furno aſſati donec ruffum colorem accipiant minimeque



nimeque auro donati, Biſcutelli dicũtur. Paſtæ regiæ cocto ſaccharo incraſſatæ pyxides implent, totaque ſuperficie inaurãtur pro nobilioribus. Tortugatum eodẽ modo paratur, ſed ſæpius in morſellos diſtribuitur ad inſtar pignolati. Sequuntur tragemata formæ ſolidioris vt amygdalæ integræ, nuclei pinei & auellanæ ſaccharo coopertæ: ſic & ſemina quædam vt coryandri, aniſi, fœniculi: Item cortices mali citrij & cinamomi. Eſt autem tragema, vel trageta doctis vocata, vbi craſsiuſculè contuſis aromatis quibuſdam ac ſeminibus permiſcetur: à puluere quem digeſtiuum vocant, ſola tritura & lęuore diſcrepat. Turones Monſpelienſibus per hyemem aſſueti (à torrendo, opinor, dicti, quòd percocto ſeu retorrido melle conſtent) ad ſupra dicta commodè ſatis referri poſſunt, quod ſint amygdalæ & nuces auellanæ integræ vel tuſæ melle albiſsimo exceptæ, omnium certè conditorum facilè duriſsimum. Penidiæ nihil aliud ſunt quàm ſaccharum primò liquatum, dein coquendo inſpiſſatum, quouſque viſcidiſsimũ euadat. trahitur ad clauum & velut chorda ex eo ducitur longior, craſsitudine parui digiti aut etiam gracilior amyli puluere conſperſo. A dulciariis ad ingrata pharmca redeamus.

Potio ſiue potus quiuis liquidus eſt, ſed

Universidad de Deusto Biblioteca



ſed opaci coloris ob pulueres vel opiatas, quibus magna ex parte conſtat. Lympidior etſi nõ liquidior ſyrup' eſt, quem ad perfectionem coctum dicunt.

Iulepus ad hunc proximè accedit, qui propriè eſt aqua ſtillatitia ſaccharo incocta: verùm hodie vſurpatur etiam pro ſyrupo aquis ſtillatitiis diluto. Hunc iulepum crudum, illum verò coctum appellant. Eiuſdem conſiſtentiæ ſunt ἐξύμελι, ὑδρόμελι & quod in vſu eſſe deſiit, ἀπόμελι, quando in longius tempus parantur.

Apozemata ſunt prædictis aquoſiora, liquidioraque, & ſi diligenter clarificentur, tenuiora.

Bochetum eſt omnium ferè potionũ lympidiſsima & tenuiſsima: nimirũ cum ſi herbæ alicui' vel radicis leuiuſculè bullitæ decoctum clarificatum & dulcoratũ ſufficienti quantitate mellis aut Zucchari. Mulſio dicitur ex fructibns & ſeminibus quibuſdam contuſis, & ſubinde aliquo humore irroratis colatura ac leuis expreſsio, quæ ſaccharo etiam dulcorari poteſt. Similis eſt infuſio vocata, quæ tamen integrum medicamentum rarò conſtituit, nonnulli dilutum appellant. His multò craſsiores ſunt ſyrupi vt ex ſuperiorib. ſatis conſtat. Eſt autem ſyrupus variorũ ſimpliciũ decoctio, vel ſuccus melle



le aut ſaccharo ad liquidioris mellis conſiſtentiam coctus, qui proinde ad multos menſes integris viribus ſeruatur. Syrupi vſuales dicuntur quos Pharmacopœi lõgius tempus & ad varios vſus confectos reponunt. Magiſtrales verò qui ad complicatos affectus pro alicuius Medici arbitrio conficiuntur, perfectè cocti vt diutius perdurent.

Apozema qui & ſyrupus lõgus vocari ſolet, idem eſſet, ſi tandiu coqueretur ac inſpiſſaretur. at crudius manẽs breui corrumpitur, vt vix ad quintum diem æſtato conſeruari poſsit.

Opiata olim ab opio nomẽ meruit, eratque medicamenti genus anodyni vel narcotici potiùs, quò opium reciperet. Inualuit tamẽ neſcio quo modo vſus, quẽ penes arbitrium eſt vis & norma loquendi, vt deinceps opiatæ dicerentur quæcũque medicamenta ſpiſsioris ac concreti alicuius ſucci conſiſtentiã nacta ſunt: vnde etiam deducta eſſe potuit appellatio ἀπὸ τοῦ ὄπου videlicet, qui ſuccum denotat. Quæ boli forma aſſumuntur, eiuſmodi ſunt, atque iis tunc ſacchari puluis inſpergitur, quo gratiora euadant.

Rob Barbari propriè appellant ſuccũ inſolando vel percoquendo inſpiſſatum non ad duritiem, ſed mellis conſiſtentiam

tiam. Idem Latinis esse videtur sapa. verùm impropriè ros etiam dicunt de compositionibus quibusdam opiatas æmulantibus. Electuarium seu electarium medicamentum est, quod ex pluribus & efficacissimis quasi electis simplicibus fit saccharo melle aut syrupo admistis. Duplex proponitur in vsu, alterum subliquida, alterum sub solida forma: Liquidum electarium vocant non quod diffluat liquorum modo (est enim opiatę consistentia) sed ad alterius differentiam quod in tabellas formatum est. Habentur etiam in pulueris forma quædam electariæ, vt quæ cordialia vocitantur.

Confectio idem quod electarium significat Practicis excellentia quadam scilicet. nam largiore modo sumpta est quæuis compositio ex pluribus constans. Eclegma siue looch opiata & liquido electario liquidius est atque viscosius. Condita quas mixturas alii appellant, ad puluerum formam accedere superiùs annotaui. Porrò cum eadem instaurantia seu restaurantia vocari dixerimus, scire decet alia esse restaurantia liquidæ consistentiæ & potabilia ex distillatis carnibus cũ aromatis quibusdam. Ob id distillatum etiam id genus remedij absolutè nuncupant, quod est sorbile.

Trochisci à rotunda figura nomen sortiti



sortiti sunt, vnde & κυκλίσκοι dicuntur, & à panis similitudine ἄρτίσκοι: eosdem Pastillos vocant Latini. Hodie non solùm rotundi, sed etiam quadrati & triangulares formantur ad placitum. Solidæ sunt consistentiæ, & tabellis semper minores, vt ad lupinorum quoque magnitudinem plerumque fiat, vnde Lupinares dicti.

Tabellæ solidæ sunt & figuræ vel Rhõboideæ Lozangiã vocant, aut planè quadratæ.

Pilularum massa est materiæ medicamenti moles, quæ ad diuturnos vsus seruatur. Rotunda fieri solet, vtroque latere depressa. solida quidem est, sed nõ fragilis vt tabellæ, quia visciditatis plurimũ habent. Quando necessitas adest, ex ea prius modicè remollita formãtur pillulæ à spherica figura sic nuncupatæ, quarum singulæ plus minus ℈ ß. ponderant.

Medicamentorũ quæ assumuntur & ad ventriculum vsque perueniunt, formas quanta fieri potuit facilitate & breuitate exposuimus: superest vt eadem diligẽtia de admouendis agamus. Ex his alia sunt liquida, alia solida, & alia mediæ consistentiæ, vt de assumendis quoque diximus. formæ liquidæ ac fluxiles habentur lotiones, balnea, olea. Solidioris verò Emplastra, cerata, masticatoria, pessi, glandes: mediæ, linimenta, vnguenta, pultes

tes & cataplasmata. Lotio est quorũdam medicamentorum decoctio qua lauantur & fouentur partes: vnde fotus & fomentum vocari solet. fit etiam ex materia simplici vt oleo, vino, aqua marina, lixiuio. A fomento sola vtendi ratione differt Embrocatio, quòd hæc ab alto guttatim stillante liquore fiat. Nostri tamen nihil aliud quam irrorent: Barbari hanc remedii formam duciam appellarunt. Balnei eadem quæ lotionis seu fotus materia esse potest, vt eadem est forma. Sed multò maiorem copiam decocti aut alterius simplicis requirit, cùm sit velut totius corporis fomentatio.

Semicupium vel insessus Græcis ἡμικάθισμα est dimidiatum balneum, quo ab vmbilico ferè ad genua vsque tantùm madent partes.

Ἔπιθημα vocant mistionem ex certis aromatis aliisque remediis in puluerem redactis, aquis stillatitiis aut etiam vino multùm dilutis: quibus intincti panni visceribus superponuntur, vt dictio sonat.

Sacculi ad eosdem vsus quos fomenta & epithemata quandoque fiunt, quibusdam inclusis & consutis. Qui ad fotus parantur & ex tela componuntur sæpius: cumque res exigit bulliũtur in aqua aut alio



alio liquore, & expressi admouentur. Sunt & sacculi ad fotus sicciores parati, quos liquore non maceramus, vt ex milio, auena, furfure & tela inclusis. Pro epithematis verò facti serico rubro magna ex parte constant: cui induntur pulueres aromatici, fitque interbastatio vt vocant: atque hi vel sicci admouentur, vel odorifero quodam liquore parum irrorati. Ab iis nihil differunt quæ à scutiformi figura scuta vocant, nisi quòd in istis scutis pulueres bombace excipiuntur, quod in epithematis rariùs fit.

Cucuphæ seu birrethi ad pilei nocturni similitudinem pro capite componuntur ex puluerib⁹ capitalibus vocatis, bombace aut scarlatæ rasura exceptis & serico (vt in scutis fit) inclusis atque interbastatis. Frontale ad cucuphę compositionem propè accedit, sed nihil bombacis habere solet. Sola enim simplicia inter duas telas vel sindones interbastãtur, fitq; ad frõtis figuram & magnitudinem. Frontale quoque appellant lineum pannum liquore vt oxyrhodino maceratũ & expressum, quod fronti applicatur.

Oleorũ forma qualis sit omnib. cõspicitur. Linimẽta oleo modicè cõcreto assimilẽ consistentiã habẽt. Vnguentum lini mẽto spissius est, vt quod plus cerę accipiat.

Universidad de Deusto
Biblioteca



piat. Eiusdem consistentiæ ac formæ est quod Nutritum vocant: propriè verò dici solet de lythargyro quod multo oxeleo dissoluitur, quantum scilicet ebibere potest, donec vnguentis speciem sortiatur. Cataplasma seu epiplasma vnguento crassius est, inter vnguentum & emplastrum ferè medium obtinens. Pultis cõsistentia videtur eadem. Sic verò appellant farinam liquore solutam & deinceps coquendo inspissatam ad instar cataplasmatis. Emplastrũ iam solidius est ex medicamentis ficcioribus constans. Emplastri verò massam quæ figuræ teretis esse solet Magdaleona vocant.

Dropax emplastri species est, quo potissimum ad depilanda corpora in balneis vtebatur antiquitas, ab effectu etiã χηλωτρῳ Græcis dictũ est. Barbaris spanadracum appellant, linteum emplastro liquefacto imbutum & resiccatum: quod emplastri modo vlceribus aptatur. Eiusmodi est quam Græci telam chalterij vocitant.

Ceratum vel cerotum similẽ emplastro consistentiam habet, ab eo materia præcipuè differens, κηρώματα Græci dixere, quæ hodie cerota nominant & emplastra. Emplastra verò illis, fuere nostris vnguenta vocata. Collyrium iam factum est oculorum peculiare remedium: nã aliàs pessos



pessos quoque & glandes significabat. Aliud est liquidum ex muscilaginibus aut pulueratis medicamentis morbo conuenientibus, quæ liquorib. dissoluuntur, aut in oculos commodiùs instillentur. Aliud est siccum in tenuissimi pollinis formam redactis pharmacis, quæ per calamum in oculos insufflantur. Ex iisdẽ liquore modico exceptis fit mediæ consistentiæ collyrium ad formam liniměti. Barbari Sief appellant, collyrium, trochiscorum forma seruatum. Collyrium verò absolutè vocant aliquo liquore dissolutum, & Alchool puluerem tenuissimũ, ex quo parantur collyria. Hinc aiunt ex Sief fieri Alchool & cõtrà, & ex vtroque collyriũ. ex collyrio autẽ illa non fieri. Sternutatorium fit forma pulueris, qui in nares attractus vel insufflatus parua quantitate sternutamenta ciet. ἅφιστρον verò seu caput purgium est liquidũ ex decoctis aut succis quarundam herbarũ aut radicum: hoc tepido palmam implent, & velut sugendo in nares attrahunt. Gargarisma etiam liquidum esse oportet ex decoctis plerunque paratum, quòd ore diutiùs cõtineatur. Masticatoria Græcis λαμπτήματα solidæ formæ sunt, nempe ex iis quæ mandi queunt. Nam circa dentes ea consistere atq; tardare necesse est. Alioqui sanè linteolis inuoluuntur pulueres ad formam

noduloru̅, quos puppas & pupulas nuncupant. Sũt alij quoque noduli ad linguæ asperitatem & sitim ore continendi. Sed prius cõuenienti liquore madefiũt baculo glycyrrhizę alligati. Nodulo etiam incluſa pharmacadeecoctis medicamentorũ aut carnium iuſculis nonnunquam decoquimus. Præterea noduli ad vterinos affectus inſtituuntur, naſcalia vocant. Nam cùm ſolida ſiccáve medicamenta cõuenire vidẽtur, in maſſam coacta inuoluuntur ſerico vel linteo, & forma donãtur vel rotunda, qualis eſt noduli: vel oblõga & terete, qualẽ penis virilis habet. Tale genus medicamẽti peſſum vel peſſariũ appellãt. Fit quoque ex pulueribus melle cocto ex ceptis ad formam prædictam, atque tunc ſola magnitudine à glande, ſiue, vt vulgò appellant, ſuppoſitorio differt. Glans olim breuior & craſsior fiebat, vt eſt veriſimile, cùm id ipſa nuncupatio ſatis innuat: nũc longior tenuiórque ſolet confici, vnde etiam candelulæ vel candeletæ nomen meruit. Clyſter ab eluẽdo & ἵημι ab immittendo iniiciendóve dictum eſt, liquidæ & potabilis conſiſtentiæ: varias habet nuncupationes pro diuerſis partibus quibus accommodatur. Vulgatiſſimus eſt ani clyſter, rarior vterinus, & qui auribus aliiſve cauitatibus deſignatur. Huc referri debet quæuis iniectio ſyringa



ga facta in veſicam, vlcera ſinuoſa & fiſtulas.

Suffitus Græcis θυμίαματα, Barbaris Suffuf in forma trochiſcorum vt plurimùm præparantur, vel puluis fit craſsiore modo contuſus.

Odoramenta verò alia pulueris formam ſortiuntur, vt violaceus & cyprinus: alia pilularum ſiue orbiculorum, alia pomi, cordis vel alterius rei vt placet. Formulæ auium cypri huius ſunt ordinis: non nulla mediæ cuiuſdam conſiſtentiæ habentur, vt caſſoleta quam vocant. Quædam etiam liquida habentur, veluti aqua naffa & angelica dicta. Olim vnguentorum ferè conſiſtentiam habuere omnia vt nardinum, malabarhrinum ſeu foliatum, &c. Vnde μυροπῶλαι dicti vnguentarij, quos hodie perfumatores appellamus, & prouerbium Græcis vſitatiſsimum, τὸν ἐμὸν φακῆ μύρον. & apud Terent. olet vnguenta de meo. Euaporatio dicitur cùm herbarum vel radicum vel aliorum eiuſmodi decoctione fumus ſeu vapor excitatur, quem auribus, naribus, ori, vuluæ, aut ano per infundibulum ad id paratum plerunque accommodant. Hactenus præcipuas, & niſi me fallit memoria, omnes medicamentorum formas deſcripſimus. neque enim eſt quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca



quis obiiciat prætermissas confectiones aut antidotos, cùm iis dictionibus non vna medicamẽti forma significetur, quẽadmodum nec electarii vocabulo: quippè confectiones dicuntur quæ certo apparatu, & vt earum autor putauit, magnificè composita sunt. Earum verò plurimæ opiatarum formam obtinent. Antidoti verò nuncupantur quæ maximè fiũt medicamenta aduersus deleteria venenatáque animalia & contumaces morbos, in quibus aliquid occulti subesse putatur: hæc quoque magna ex parte consistentiam opiatarum sortiuntur. Præter hæc prudens omisi multa quæ non remediorum formulam, sed opus vel ἐνεργείαν denotant, cùm sub variis medicamentorum speciebus liquida, sicca vel mediæ consistentiæ parentur. Nõnulla tamen recensere placuit quodam doctrinæ cõsequio. talia sunt sternutatoria vocata, vt plurimùm in forma pulueris, quemadmodum caputpurgia siue nasaria (Græci ἀποφλεγματισμοὺς vocant) liquoris formam habent. & vomitoria liquida sunt, potiones videlicet. Sinapismus & pulueris & cataplasmatis formam habere potest, aut cerati & emplastri à sinapi quo plurimo cõstat dictus. ab eo tamen non rarò pulueres inspergẽdi, impropriè sinapismi vocantur. Rubrificantia & vesicatoria Græci



ci φοινιγμοὺς & ἐπομφολυκὰ nominant, emplastrorum consistentia esse solent, possunt tamen aliam formam nãcisci. Idem fatẽdum est de psilothro, cuius mẽtio in dropace habita fuit. Cauteria quæ vocãt potentialia vel ruptoria pulueris crassioris formam habent, vel pilularũ inæqualium & exiguarũ. Eius generis est quod Chirurgi celebrãt nec iniuria, capitellum de Vigo. Dentifricia sunt nõnunquam opiatæ, sæpius verò pulueres vt placet. Porrò iam recensita nõ magis formam aliquam remediorum denotant, quàm dum pronuntiamus detergẽtia, incarnantia, Græcè σαρκωτικὰ maturantia ἀνώδυνα, ναρκωτικά, somnifera, βηχικὰ expectorantia & his similia, quæ sub variis medicamentorum specieb⁹ parari queũt. Sic digestiui quidam sunt pulueres & quidam syrupi, de quibus omnibus in explicando componendorum medicamentorum artificio, quãtum natura rei postulabit, fusiùs Deo volẽte tractabimus. Hæc tyroni ad φαρμακευτικὴν introducendo sufficiant.

## LAVR. IOVBERTI VALENTINI Delphinatis Pharmaceutice, siue Ars componendi medicamenta.

IN arte componendi medicamenta non simplicium quæ ad affectus præter naturam sublationem quærũtur, inuentio, sed potiùs decens coniunctio & cum iusta proportione recipiendorum certus ordo proponitur. Hæc ad iudicium pertinent, quo medicina nihil præstãtius habet. inuentio autem præcedit ex curandi methodo, quam indicationes suggerunt, nata. Primùm itaque noscendus est affectus quem delere meditamur, & quo medicamenti genere is tandem profligari possit, quid partis natura (temperies inquam & figura, magnitudo, situs vel connexio, sensus & si quæ adsit proprietas) expostulet, quid vires ferãt, quid cœlum & consuetudo permittant aut suadeant, vt nihil præter componẽdi rationem desideretur. Veruntamen quia non omnis materia cuiusuis medicaméti formæ admittendę cõuenit, vt nõ ex quouis ligno fit Mercurius, etiam materiæ cõuenientioris delectum aliquãdo proponemus, vel faciliorꝭ doctrinæ gratia. Porrò qui artem componendi medicamenta discere



re cupit, ex probatissimis autoribus collectos canones habeat oportet, quib. velut fundamentis innitens, medicamenta illorũ imitatione vel suopte ingenio cõponere sciat. Eorum verò præceptorum quibus φαρμακευτικὴ constat, nonnulla sunt in omni compositione obseruanda; quædam certis medicamentorum formis peculiariter conueniunt. Nos vniuersalia primùm vt decet, proponemus, deinde singulis ferè capitibus (quando saltem opus videbitur) repetita exemplis confirmabimus, vt multiplici exercitatione adhibita legum ratio magis pateat.

### CANONES IN OMNI compositione obseruandi.

Vt ex arte fiat medicamẽtum compositum, quinque in primis debẽt obseruari, simplicium delectus, eorundem conueniens præparatio, iusta proportio, ordo miscendorum, & forma compositi futura.

In omni medicamento absolutè compositо, quatuor insint oportet, ad quod præcipuè referatur actio (eam basim medicamenti appellant) sine quo ea nõ fieret, quò melius perficiatur, & quòd cætera conseruet.

In componẽdis medicamentis præstat paucioꝛa vsurpare, modò nullum ex necessariis simplicibus omittatur.

4 Medicamentum id absolutum fuerit, quod affectui profligando viribus æquipolleat.

5 In assumendis ea vitare oportet, quę internis partibus nocent, vt metallica: in admouendis quiduis recipitur.

6 Ex simplicibus quæ similes vires sortita sunt, ea in compositionibus præferre decet, quæ sunt naturæ nostræ magis familiaria.

7 Ea præcipuè ac primum deligere oportet, quæ affectui cótraria sunt, & basis dici merentur, deinde quæ partis temperamentum vel corrigant, vel tueantur, & quæ eam respicere dicuntur, aut aliqui vim medicamenti ad sedem affectam peruenire faciant.

8 Basis aliquãdo vnicum est simplex, frequẽtius verò ex multis componitur, quorum neutrum per se & solum conueniret, nonnunquam ut ex pluribus genere idem pollentibus, vt quando vnius largior copia non suppetit.

9 Miscentur medicamenta vel congeneria, sed quæ virium excellentia inter se differant, vel diuersa tantùm, vel planè contraria.

10 Basibus diuersis est opus, quando medicamentum fuerit κολλεκτικὸν, quippe tunc tot adhibendæ sunt, quot actiones à medicamento exigimus.

11 Vni-



11 Vnicum simplex duarum basium loco nonnunquam esse potest.

12 Ad basin rectè constituendam affectus præter naturam causa exactè cognita esse debet.

13 Nimium efficacis medicamenti vires, imbecilliorib⁹ admixtis retundũtur.

14 Simplici quod multis nominibus nocere potest, multa sunt addẽda ad correctionem, vt ea tantùm qualitas quæ iuuat, libera supersit.

15 Sine quibus vocata hæc præstare solent, vim agentis roborant & exacuunt, aut ad partẽ affectam deducunt, idq; vel proprietate quadam, vt quæ dicũtur partem aliquam respicere, vel partiũ tenuitate, aut vt in parte diutius morẽtur, faciunt.

16 Tritura, coctio, vstio & lotio de iis sunt, quæ vocant sine quibus non.

17 Eadẽ esse possunt per quæ melior fit actio, vti & quæcunque reddunt palato & ventriculo iucundius medicamentũ colore, odore, sapore aut consistentia, & quæ partes corroborant.

18 Assumpturo medicamentũ quoad licet gratificandum est, & ꝙ iucundius fuerit (modò nihil vtilitatis pereat) prępărandum.

19 Quæ addũt medicamẽto ad cõseruationẽ quorundã vel omnium vim, ne citi⁹ expi-

expiret retinent. Aut totam compositionis molem aduersus exteraum aërem muniũt, ac in multos dies incorruptã seruãt.

20 Simplicium medicamentorũ quãtitas ꝓportio esse debet, nõ solũ ꝓ affectus curandi essentia, magnitudine, tẽpore & parte affecta, sed etiã ipsorũ simplicium facultate valida aut languida, & forma medicamenti constituenda.

21 Iusta simplicium quantitas semper est ꝓscribenda, quòd si varia nõ affuerint, singulorum pondus augeatur.

22 Eius quãtitas maior esse debet, quò aduersus affectũ præcipuè indigemus, ni si magnarum aut etiam perniciosarum furerit virium.

23 Basis medicamenti reliqua superet quantitate, aut viribus.

24 Parcior quantitas sit eorũ quæ alia tantùm corrigere debent.

25 In minore dosi q̃ cætera, vsurpare decet, q̃ sũt efficaciora aut valdè cara, aut ingrata sapore, odore, aliáve insigni qualitate, nisi tamẽ ea fuerint præcipuarũ virium, & ad propositũ prorsus necessaria.

26 Quãdo multa sumũtur idẽ pollentia, singulorum quantitas minor sit.

27 Augendum pondus medicamenti natura vel ætate imbecillioris, aut ei addendum quod sit valentius.

28 In fortioris inopia imbecillioris duplum



duplum assumatur: nam imbecilliorum quantitas maior, fortiorũ quæ parciora sint, qualitatem adæquare potest.

29 Rara in maiore dosi quàm densa vsurpantur.

30 Quorundam simplicium dosis est varianda pro temporis conditione.

31 Congeneria in multiplici proportione mixta, medicamentorũ cõpositorũ vberrimam copiã suggerunt.

32 Varia eorundẽ simpliciũ ꝓportio, varias medicamentorũ formas inducit.

33 Cõpositi forma quæri debet, quę sit ꝓposito fini cõueniẽtior, ęgro iucũdior, & seruãdo vtẽdoq; medicameto accommodatior.

34 Quædã simplicia quibusdã remediorũ formis inepta sunt, aliàs ex suaptè natura, aliàs ex præparationis modo.

35 Nõnulla cõponendis medicamẽtis admiscentur, formæ tantùm cõstituendæ gratia, aut molis augẽdæ, aut coloris inducendi, nõ vt medicamentũ ab iis vires aliquas notatu dignas accipiat.

36 Eo ordine recensentur simplicia, quo in compositionem ex arte parãdam venire debent.

37 Quę in minore dosi vsurpantur, iis quorum maior est quantitas, certis gradib. postponere decet, nisi prædict⁹ canõ aliud suadeat.

Propositis canonibus in omni ferè

medicamenti ſpecie obſeruādis, operæ-
precium eſſe videtur, vt medicamenti ge
nus aliquod afferā, in quo eorū maxima
pars deprehēdi poſsit. Id verò abſolutiſ-
ſimum ſit oportet, & vſitatiſsimū, vt ſine
cōtrouerſia ab omnibus recipiatur. Eiuſ
modi fuerit electarium liquidum ſiue in
forma Opiatę: quod quia nullos non pur
gat humores, atque vniuerſali cacochy-
miæ mederi creditur, καθολικὸν appellant.
Debet verò proponi eius deſcriptio in
ſequentem modum.

℞. polypodii querni recentis & triti
℔.i.ſ. fœnic. ʒ.iij. coquantur in ſ.q. aquæ
ad mediæ partis conſumptionē: Colatu-
ræ adde Sacch. rubri ℔. viij. fiet ſyrupus
in quo diſſolue caſsiæ ſiliquæ mūdatæ &
Tamarind. an. ʒ.viij. Coquātur leuiſsimè,
poſteà addantur ſequentia craſsiuſculè
puluerizata. Rhabar. electi, violarum Po
lypodii querni recentis, ſennæ & aniſi an.
ʒ.iiij. 4. ſem. frig. maiorum an. ʒ. i. glycir-
rhizæ raſæ, penidiarū & ſacchari cādi an.
ʒ.ß. miſce, fiat electarium.

Huius medicamenti author Nicolaus
cognomēto Præpoſitus, aut quiuis alius
Arabū ſequax (nam Gal. inepte attribui-
tur) nihil eorum quæ ad optimē compo-
ſitum medicamentū requirimus, omiſiſſe
videtur. Siquidem in eo obſeruata fuere
1. 2. quæcunque in primo & ſecundo canone
curanda



curanda eſſe monuimus. neque plura nec
pauciora q̄ ſit neceſſe, habet compoſitio.
Cumque ſint de aſſumendis quæ internis 5.
partibus officiant nō admittit: imò verò 6.
ex iis quæ ſimiles vires ſortita ſunt maxi
mè familiaria recipit, & cui opponitur af
fectui viribus æquipollet. Affectus quem 7.
oppugnare debet, eſt vniuerſalis cacochy
mia in viis communib⁹ ſubſiſtens, cui op
ponuntur quoſcunque humores (illius vi
delicet cauſam) fugantia. Aduerſantur bi 8.
liRhabarbarū, caſsia, & tamarindi, pituitę
& melancholico humori Polypodiū, atq;
ſenna: quæ de partis affectæ tutela aut di
rectione dicūtur, in hoc vniuerſali medi
camento obſeruari nequeunt. Sunt verò 9.
ſupradicta omnis generis καθαρτικὰ, ipſius
Medicamenti baſis: quippe medicamen- 10.
tum eſt πολυχρηστον. Attamē ſimpliciū quæ re 11.
cipit nōnulla duarum baſium vices ſup-
plere queūt, vt Polypodium, quo & pitui
ta & melancholicus humor expelluntur.
Porrò miſcentur hic varia ſimplicia, quo 12.
rum nonnulla ſunt congeneria, nonnulla
verò diuerſis aut etiam contrariis facul-
tatibus donata, vt tēperamentum inſtitu
to conueniens acquiratur. Hic nullum eſt 13.
valdè efficax quod retundi debeat: at nul 14.
lum non indiget correctione. Etenim Po
lypodium caſsia & ſenna flatibus excita-
tis tormina faciunt. Eos verò diſcutiunt

ac

Universidad de Deusto
Biblioteca



ac fieri prohibent aniſum & fœniculum: quæ aromatica ſua vi internas quoq; partes roborant, vti etiam Rhabar. Tamarindi acido ſapore lædunt ventriculum, ea qualitas miteſcit dulciũ permiſtione. vt ſacchari, penidiarũ & cãdi. Rhabarb. aſtrictio, & ſennę aſperitas aut ſiccitas, vtcunque ſuſpectæ emendãtur lenientib. caſſia & violis, necnõ glycyrrhiza & ſupradictis dulcibus, ſed maximè 4. ſem. mai. fri. ipſo
15. q̃que ſyrupo. Hæc ſine quibus non, vel per q̃ melius pficitur actio purgantiũ medi-
16. camentorũ duci queunt, vt & tritura craſſior omnib. ferè catharticis cõueniẽs, qp pe cũ tardiùs meãt, vehementiùs agũt, & polypodii lõgior decoctio, vt maior vis eliciatur, atque flatulentum non maneat: caſsiæ verò & tamarindorũ coctio leuiſ-
17. ſima aut nulla, q̃ diuturniore tempore vi-
18. res ſuas amittant. Gratius medicamentũ redditur appoſitis dulcib⁹. Aniſo autem & rhab. viſcera corroborantur: ipſa verò opiatæ cõſiſtentia nõ paulò aptior eſt li-
19. q̃da ad inſignioꝝ actionẽ. Poſtremò conſeruationis gratia additũ fuit ſaccharũ. Hæc ad delectũ p̃cipuè ptinent, vt etiã q̃ in deſcriptione ipſa ſignificãtur, quando requiritur polypodium querni & recẽs, Rhab. electũ, ſaccharũ rubrum & ſimilia. Prę̃paratio verò quorũdã ſimpliciũ pharmacopœi induſtriæ relinquitur minimè explicata, vt ſeminũ frigidorũ maiorum



inciſio, ſcalpello minutim facienda, cum ſaccharo & penidiis ne pingueſcãt: atque tamarindorum purgatio & ſimilia nõnullorum exprimitur, vt cũ dicimus polypodii triti, caſſiæ & glycyrrhizæ mundatæ. Sic etiam in proportione quorundã quãtitas nõ explicatur, vt aquę ad polypodij coctionẽ: nec decocti ſumendi ad ſyrupi cõfectionẽ. Erit aũt iuſta aquæ portio ad
10 ℔. xij. in quibus polypodii libra vna bulliet. donec liquoris dimidiũ abſumatur. Colato iuri additur ſaccharum ad ℔. viij. ſitq; ſyrup⁹. perfectæ decoctionis abſumpto penè toto iure: nã de ſaccharo minimũ perit coquẽdo, ſi tamẽ pri⁹ fuerit clarificatum, vt decet, diſſolutũ vna parte iuris prædicti. Cur verò polypodii maior pars coquitur, reliqua immittitur pura, rationẽ eſſe puto ex medicamenti forma & efficacia. Nã cũ op⁹ eſſet liquore ad cætera excipiẽda vel diſſoluẽda, ſatius fuit polypodiũ coq̃re, ſi. n. totũ manſiſſet crudũ, cõpoſitio minus iucũdè purgaſſet, & torminib. ventrẽ diſcruciaſſet: at coquendo flatulẽtũ eſſe deſinit. Proinde ſanè melius eſſet vniuerſum decoquere vt docet Decẽnius. Cæterũ aliorũ quantitas & certa ꝓportio hîc limitata deꝑhẽditur, atq; obſeruatum quicquid de hac re in canonibus noſtris tradidimus: niſi quòd affectus curandi magnitudo, tempus & pars affecta in medicamẽto vniuerſali parãdo 20.

contemplanda non veniũt, sed tãtùm curandi affectus essentia, quæ hic est καθόλου
21. μὲν vniuersalis. Iusta simplicium medicamentorum quãtitas præscribitur, neque est substitutis opus, vel aucta cuiusuis dosi cum singula facilè habeantur. Polypodij maior est q̃ cæterorum purgantium
22. quantitas, tametsi non minus purgando valeat: sed quia pituitã & alios humores crassos educit, qui copiosiores esse solẽt,
23. vt in basi constituenda præcipuas partes
24. tenere videatur: reliqua omnia sunt ad purgãtium emendationẽ in minore dosi recipiuntur. Nam q̃ violæ & anisum in pari quantitate cum rhabarb. & polypodio crudo recipiãtur, nihil obstat: cùm si plurib. corrigẽdis, singulis pauciora sint.
25. Rhabarbari dosis minor est quã reliquorũ purgantiũ, quia est efficacius, carius & ingratius: Polypodiũ verò excellit q̃ ad propositũ affectũ maximè conueniat: sena medio modo se habet. Rhabarb. mino
26. 27. rẽ dosin esse facit, q̃ cassia & tamarindi etiã bilem expellant. Quod de euanido aut iam imbecillo medicamento monuimus, hic locum habebit, si necessitas vr-
28. 29. geat. Dentior rhabarbari substãtia propter antedictas rationes, occasio esse potest minoris quantitatis institutæ, quemadmodum glycirrhizæ minoris q̃ violarum. Sex qui sequuntur canones ad medi-



medicamenti formam pertinẽtes vni medicamento cõuenire nequeunt, aut certè huic peculiariter accõmodari nõ possũt, nisi quod ad formã opiatę seu electarii liquidi, aut mellis inducẽdã ritè obseruatur syrupi, & eo excipiẽdorũ certa ꝓportio, nẽpe vt quantũ sacchari decocto polypodii adiicitur, tãtum vel paulò pl' syrupi reliqua diluat. Sic enim medicamẽti cõueniẽs forma & cõsistẽtia erit. Siquidẽ syrupus circiter ℔.x. pẽdebit, quo excipientur reliqua ad ℔.iij. quart. iij. §. 6. Postremò quod & §. ix. s. de ordinis ratione àno bis prę scriptũ est in ꝓposita cõpositione obseruatũ videri potest: quippe ea serie recẽsuimus omnia quę in mixtionẽ venire debẽt, & quę in maiore sunt dosi. alia quorũ minor est quãtitas iure suo præcedunt. Aliud quoque obseruatione dignũ occurrit, post rhabarbarum violas collocari, & polypodio fœniculum primò, deinde anisum subiungi, vt cuique suum correctiuum proximè habeatur.

Sequitur iã vt his præmissis ad aliquã cõponẽdi medicamẽti formã aggrediamur. Primũ verò decoctionis vocatæ modũ rationémq; trademus: q̃ ea sit permultorũ medicamẽtorũ velut rudimẽtũ q̃dã & basis, atq; nõnullorũ pars præcipua aut certè quæ præcipuã multùm adiuuet. Raro integrũ medicamentũ per se cõsti-

D tuit,

tuit, vt neque infusio dicta. Hæc enim ad medicaméti alicuius perfectioné frequé tius vsurpari quàm sola exhiberi debét. Proinde quod in absoluto medicaméto requiritur ad totius cóseruationé his de est: cum nó in multos dies vtéda parétur, sed recétia, quoties opus esse videntur, fiant. Porrò canones in decoctionibus in stituédis peculariter obseruádos preter cómunes supra scriptos initio propone mus, deinceps formá explicabimus, iis quę frequétiores sunt decoctionibus allatis pro exemplo, vt particularibus lector facilius exerceatur.

## CANONES IN DECOCTIONIBUS peculiæriter obseruandi.

1 Decoctionib⁹ aptissimę sunt plantæ & earum partes, minus apta succi, & lachrymæ, animalium partes & metallica

2 Dum liquor non exprimitur, ex aqua potabili faciendam esse decoctionē subintelligimus.

3 Pluuialis aqua thoraci destinatis decoctionibus omnium aptissima est.

4 In decoctione instituēda simplicium substantia æstimari debet: quippe vario modo varia simplicia coqui debét. & de-



coctione vis medicamenti resoluitur.

5 Quorum vis in rara aut tenui substātia vel in superficie, posita est, ad liquoris tertiæ partis consumptioné ea coxisse sat est, quæ magis terrena sunt ad dimidias, vel amplius coquere decet.

6 Sicca & rara maiorem liquoris copiam, quam iis contraria requirunt.

7 Vt plurimum sufficiés liquor est, quo simplicia abundè macerantur & obruūtur.

8 Quò diuturnior fieri debet coctio, eò plus liquoris assumendum.

9 Vt tenuius maneat decoctú, non sunt diu elixanda simplicia.

10 Quę diuturniorem actionem requirunt simplicia, priori loco recenseri debent.

## DE DECOCTIONIBVS.

Decoctiones ad varias medicamētorum species instituuntur, vtpote ad clysteres, syrupos, potiones, gragarismata, iniectiones, lotiones, balnea & alia permulta: quorum nonnulla semper liquida manere decet, alia minimè, vt de cataplasmatis suo loco dicetur. Nam quę ad cataplasmatum confectionem elixantur, sic præparantur vt tenerescant,

Universidad de Deusto
Biblioteca



& per cribrum transmitti possint, aliorũ verò decoctiones magna ex parte fiunt, vt variorum simplicium vis per elixationem eliciatur, & in liquore cui incoquũtur, maneat. Decoctionum materia sunt integræ plãtę, & earum partes, præcipuè radices, ligna, cortices, surculi, folia, frõdes, cacumina, flores, fructus, semina, interdum succi, rarò gummi & resinę, rariùs animalium partes, omniũ rarissimè metallica. Hęc enim potiùs dissoluuntur, & tota substantia recipiũtur in medicamentis. fiunt verò decoctiones ex variis liquoribus, vino, lora (Græci ζωμοὺς vocant) aceto, sapa, hydromelite, oleo, sero lactis, lixyuio, iure hordei, aqua stillatitia & minerali seu spõte calida, aut marina, sed omnium frequentissimè potabili, siue dulci, pluuia, fõtana, fluuiatili aut pureana, pro Medici arbitrio. Cæterùm vt quos proposuimus in decoctionibus obseruãdos canones, & quæ deinceps summus tradituri minore negotio rudiores assequãtur, tres decoctionũ maximè vsitatarum formas primùm recẽsibimus, sed alio ordine, & ni fallor, maiore artificio quàm vulgò prascribãtur. Læ sunt quas vocant Decoctionẽ communis clysteris, Pectoralem & Medicinę. In officinis paratæ non seruantur, sed quoties medicus iubet, fiunt recentes, nisi tamen fortè accidat



cidat (quod sæpe fit) vt alterius gratia eodem scilicet aut prœcedẽti die ex facta decoctione superfit, quãtũ à Medico tũc requiritur. Et quia nõ magni momẽti habentur, quasi ad cętera diluenda potiùs, quã vt peculariter agãt (etsi nõ parũ ipsæ quoq; prestẽt) vsurpentur à Medicis, prętermittitur earũ descriptio, & pharmacopeorũ industriæ cõmittitur, vt qui nouisse debeãt cõpositionẽ. Ast hi neq; ex certo simpliciũ numero, neque certa proportione obseruata eas ex suo arbitrio, & alias quidẽ aliter cõficiũt, quãuis multò satius esset in re adeò vulgari maximũ esse cõsensum, & cùm ne minima quidem hic negligi debeãt, vt descriptionẽ haberẽt qua omnes imitarẽtur. Decocti onis cõmunis clysteris (ab hac enim exordiar, quia clyster magna ex parte cætera prægit medicamẽta) præcipua materia sunt quatuor herbę remollientes, ab effectis sic nũcupatę, Malua, Bismalua (quam Græci ἀλθαίαν dicunt) brancha vrsina (iisdẽ ἁκανθῶ vocata) & viola martia, cuius folia matres violarũ & violariã officinę appellant. His pleriq; sũt cõtenti: nonnulli verò addũt mercuriale, semina fœniculi & anisi: quidã prętereà hordeũ, pruna, caricas, flores chamemeli & violas superioribus adiiciunt. alii aliud, sed ferè eiusdẽ generis cũ supra dictis, quorũ vis sit in-

Universidad de Deusto Biblioteca



duratas alui fæces diluere, inteſtina humectare, aliquātū abſtergere & flat⁹ diſcutere. Nos ī qua plures cōueniūt, & quę inſtituto melius quadret potiùſq; retinēda videatur, deſcriptionē ſubiiciemus, vt ſit reliquarum veluti norma.

℞. hordei integri P.1.4. remollitiuorum (vt vocāt) .i. quatuor herbarum emollientium ſuprà nominatarum an. M.1. Prunorum dulcium paria. vj. vel. numero xij. Sem foeniculi ℥ iij. florum chamæmeli & violarum an. P.1. fiat decoctio.

In pectorali minor eſt varietas: alii tamē aliter eam parāt, quia, vt præmonui, negligentiùs obſeruāt in ſimplicibus certum numerum atque modum. Conueniunt ferè in materia: quippe ea tātū vſurpant quę expectorantia dicuntur, pręſertim verò dulciores fructus, ſebeſtē (Græci poſteriores μύξα & μυξάνια vocāt) iuiubas (iidē ξίζυφα dicūt & Galenus σύρικα) pruna, dactilos, caricas, & vuas paſſas: præterea glycyrrhizam, hordeum mundatū & flores violæ. Sunt qui addant hyſſopū & adiantū nigrum (officinæ capillū Veneris appellant) & iridē: alii aliud apponunt neſciētibus Medicis: à quibus ſimplex decoctio pectoralis requiritur. Et talis ſanè parari debet, vt magis ſit communis, & pluribus cōueniat. Siquidē ad alia diſſoluenda aut excipiēda quę præcipuarū ſunt viriū maiori ex parte inſti-



tuitur, & medico licet, ſiquidē placeat cumulatiorē decoctionē pręſcribere. Cōueniētiſsima erit in ſequentē modū parata.

℞. hordei mūd. P.1. glycyrrizę recētis raſæ & cōtuſæ ʒ.vj. prunorū dulciū enuclatorū & caricarū pinguiū an. paria. iiij. carnis paſſularū, iuiubarū & ſebeſten an. ℥.ß. capillorum Veneris M.ij. florū violarum P.1. fiat decoctio in aqua pluuia.

Quę ad medicamētorū purgātiū dilutionē parari ſolet decoctio cōmunis medicinę vocata, & à nōnullis decoctio fructuū & florū (ſupple cordialium) etiā diuerſis modis conficitur ob ſupra dictā rationē. Ei⁹ vero materia ſūt pruna, vel tamarindi Gręcis poſteriorib. ὀξυφοίνικα dicti (quos tamē per quā rarò niſi medic⁹ ex ꝓfeſſo iubeat, induūt pharmacopœi) vuę paſſę, glycyrrhiza, & flores violę aliiue cordiales vocati, nēpe borraginis & buglo. Sūt qui plura iniiciāt, & hordeū quidē in omnib⁹ ſuis decoctionib⁹ velut baſim conſtituūt, neque aniſum aut fœniculum pręternittitur. Ex his decoctionem communem in ſequentem modum præſcribes.

℞. hor. integ. P.ß. glycyrrh. recētis & pulpæ paſſula. an. ℥.ij. prunorū dulciū. nu. vj. aniſi ʒ. j. florū bugl. & viol. an. p.ß. fiat decoctio. Supeſt vt q̄ rectè hic fuerint obſeruati cano. tū vniuerſales ſupra ſcripti, tū q̄ ad decoctiōes peculiariter pertinēt, explicem⁹. Materiā omniū maximè cōue

Universidad de Deusto
Biblioteca



nientē esse is facilè agnoscet, qui tollendi affectus naturam & ex methodo quæsitas indicatiões minimè ignorarit. Hordeum vbique recipitur, vt est valdè famiſ liaris materia in decoctionibus faciēdis. Integrum verò in clysteris & Medicinæ decocto eligitur, quò magis abstergat. Siquidē id purgationi magis conuenit. In pectorali verò quia potius humectare atque lenire decet, excorticatum meritò assumitur. Pruna quoq; & violæ omnibus his decoctionib. induntur ad leniendū & humectādum. Passulæ magis detergēt humectādo atque leniendo, & decoctum iucundius reddunt, ideóque posterioribus duobus quę ore assumi debent adiiciuntur. Anisum fœniculo delicatius est: ob id in medicinæ decoctione illud quęritur: hoc clysteri satisfacit. Quatuor remollientia & flores chamæmeli sunt magis dicata clysteribus, vt iniubę, sebesten, & capillus Veneris pectorali decoctioni. Flores cordiales vocati medicinæ decocto maximè conueniūt, quia purgātia omnia cordi infesta censentur. Aqua pluuia decoctioni pectorali cęteris conuenientior est: q̄ maiore tenuitate prędita ad thoracis partes melius penetret: In aliis decoctionib' liquore no exprimimus, quo satis innuitur faciendas ex aqua vulgari, nępe dulci & potabili eāq; saluberrima præsertim ad medicinam vocatam. Siquidem clyster minus id requirit, vt etiam ex modicè salsa non ineptè conficiatur. Porrò cum in singulis rebus instituendis ordo quidam seruandus sit, eique potissimum qui λογικὸς & μεθοδικὸς dici meretur, eo ordine recensentur medicamenta simplicia, quo debent elixari. Quippe alia aliis longiorem coctura requirunt, neque omnia simul sunt liquori inijcienda. Sed primum quæ densam & cōpactam substantiam habent, vt radices: mox quæ rariorem & tenuiorem, vt herbæ, fructus & semina, præter quàm hordeum: postremò, quæ tenuissimam vt flores: de qua re nos fusius in canonibus ad conficiendos exactè syrupos obseruandis differemus. Hordeum in his omnibus decoctionum generibus primo loco statuitur, & in duabus posterioribus etiā prę fertur radici dulci, quia illud ob flatulentam naturā, cuius nomine alioqui suspectum fuerit, diutissimè coqui debet, vt monuit Hippo. Capillum Veneris fructibus postpono in pectorali, etsi vulgò præponi conuenit, vt quæuis herbæ. At tenuis huius substantia minorem quàm fructus fert decoctionem. Rursus in singulis speciebus coquendorum simplicium facultates duę, & tres quoque si fuerint eliciendæ cōsiderentur. Nā quæ vim

*li. de vict. ratione in morbis acut.*



sortita

sortita sunt penetrandi, & aperiendi, ex tenuandi, atterendi aut digerẽdi seu resoluendi, quia in tenui quadam substãtia & quodammodò superficiaria vim sitam habent, parcè ac debiliter coqui oportet: alioqui facultas resoluta euanescit. Contrà diutiùs ac vehementiùs coquẽda sunt quorum vires in substantiæ crassamẽto latitãt, vt in nonnullis absterſio, adstrictio, repressio, incrassatio & similes. Id verò nõ in diuersis tantùm, sed etiam singulis simplicium speciebus obseruandum venit, vt ex radicibus, herbis, fructibus, seminibus, floribus & cæteris ea præmittantur, quæ maiorem coctueram sustinent ac requirunt. Maior verò duobus modis intelligitur, & quæ diuturnior fit sed temperato igne, & quę ardentiore. Minor autem & lento igne & breuiori tempore perficitur. Itaque eo ordine quo elixari debent simplicia recensẽantur. Sic enim imperitum pharmacopœum minus aberrare cõtinget, & ipse medicus facultatis simpliciũ ac methodi cõponẽdorũ medicamẽtorũ peritꝰ ex scripto suo deprehẽditur. Neq; verò negligẽdũ est ꝙ in cõmunibus prȩceptis habetur, quodque in catholicone medicamẽto explicuimꝰ, & quorũ mẽsura vel quãtitas minor fuerit aliis postponãtur, nisi tamẽ nunc ꝓposita lex obstiterit. Siquidem



quidẽ in decoctionib. faciẽdis simplicis medicamẽti substãtię potissimùm habẽda est ratio: in aliis verò medicamẽtorũ formis illud omnium facillimè obseruari potest. Id quoque est de cõmunibus in omni cõpõsitione ea copiosiora esse debere, quorũ vsus magis est necessarius, interim nõ neglectis quæ iuuare possũt, vt cum induratas alui fęces emollire prædicta communis clisteris decoctione sit opus, emollientiũ maior quantitas quàm aliorũ præscribitur. Horũ facultatẽ iuuãt pruna & violæ, quæ humectãdo ac refrigerãdo etiã viscerũ caliditatẽ refringunt, indurati stercoris causam frequẽtissimã. Idem prȩstat hordeũ quod prȩter ea detergendi vim habet, & vtcũque vim excretricem solicitat. Quia verò flatus supra indurati stercoris sedem retineri solent, aut ex decocto herbarum iidem facilè excitantur, jã circo foeniculum & chamæmelum fuerunt adiiciẽda. In decoctione pectorali queritur materia, quæ humectando temperatè calefaciat, nec non parũ incidat, attenuet & abstergat. Ad hãc rẽ parata ex æquo necessaria simplicia habere videtur, ex quibus simul iunctis velut unica basis constituitur. nam quod in vno deest, alterũ suppeditat Eadẽ ratio conuenit decoctioni Medicinę: cuiꝰ est parũ humectãdo & minimè

nimè calefaciendo κατὰ μικρὸν dissoluendorum acrimoniam obtundere, & addito aniso atque floribus cordialibus præcipuas partes bene munire, ne à purgatorio medicamento effundantur. quæ si cõparetur cæteris, & dissoluendis postmodum purgantibus in minore quãtitate apponi videbũtur: vt nõ valde insigne est incommodũ quod ista (iam benè emendata) inferũt, alioqui profectò ne vtenda quidem essent. Est verò in omni decoctione atque alia compositione obseruandum, vt præscribatur iusta quantitas simpliciũ, ex quibus facultates requirimus. Proinde si copia seu numerus fuerit minor, singulorum põdus mensuraue augeatur, & cõtrà si plura recẽsean tur simplicia, singulorũ minor sit dosis. Exẽpli gratia, Si vnica ex remollientibus herbis cõtenti esse volumus, eiusdem M. iiij. præscribatur. Sin duas adcere placet, singularũ M. ij. sufficient. Eodẽ modo cũ herbas duplo plures assumere iuberis, vt addita mercuriali sicla, lactuca, & borragine, singulorũ M. ß accipietur, atque aliorũ omniũ eadẽ ratio: quod in decoctione pectorali obseruadũ nihil de industria proposui. Nam capillorum veneris M. ij. ascripsi, vnica herba cæterus nõ addito hyssopo, quod terè adiungi soler. Postremò quãtùm liquoris sit accipiẽdũ pro quauis decoctione statuam', quãquã vix definiri posse videatur. Vnde fit vt sæpissimè Pharmacopœi iudicio relinquatur liquoris quãtitas: quod & nos in præscriptis decoctionib' fecimus. Si quis tamen recẽsitorũ simpliciũ molẽ æstimet, pro decoctionis qua indigemus, copia, liquorẽ determinare poterit: vt cùm sufficiat pro vni' clysteris dosi ℔ .i. decocti & quę præscripsimus medicamẽta, cõmodè in aquę ℔. ij. ad medię partis cõsumptionẽ coquãtur, hãc esse sufficientẽ aquæ quãtitatẽ existimam': atq; ea ferè est liquoris proportio ad incoquẽda medicamẽta, vt cùm ad dimidias imminutio facta est, decoctionem absolutã esse putemus. Proinde aquę duplũ ad id quod nobis supereſse volum' imperari debet. At cùm tenuioris substãrię simplicia coquũtur, veremùrq; ne eorũ vis exhalet diuturniore elixatione, aut cum visciditate sua vel crassitie decoctũ iustò spissi' reddere nata sunt, tũc ad tertias vel quartas id est tertię vel quartę partis dũtaxat ab sumptionẽ fieri debere coctionẽ significamus. Quæ arida & rara sunt coquenda simplicia, largiorẽ humorẽ postulant, vt parciorẽ quę humida & dẽsa: quippe illa multu humoris ebibũt. Plus itẽ liquoris assumere decet, quãdo lõgiore coctione est opus, nisi liquor ea sit natura, vt ægrè



halitu

halitu diſsipetur, cuiusmodi eſt oleũ. In terim verò obſeruet Medicus, ne magnã ſimplicium farraginẽ congerat, vbi parua decoctionis quantitas requiritur. Nã cùm ſufficiens menſura liquores ad quãcunque decoctionem eſſe videatur, quæ ſimplicia ſubmergere poteſt ac cooperire, ſi plurima præſcribas, non modò inutilis remanebit magna decoctionis pars: ſed etiã quæ aſſumitur minus efficax erit: aut ſi vltra mediæ partis conſumptionem coquas. vt ad exiguam quantitatẽ redigatur, & craſsior & ingrata fiet decoctio, præterid quod ſimplicium tenuior ſubſtãtia peribit. Poſtremò animaduertendum quòd in decoctionibus præſcribendis ſæpe comittimus ſimplicium doſim nõ limitari: quia omniũ æqualẽ prorſus quantitatẽ eſſe nihil intereſt. Exẽpli gratia (quod mihi eſt vſitatiſsimũ) ſi ad diſſoluẽdas laxãtes opiatas vel tabellas aliúdve purgãs medicamentũ, præſcribã decoctionẽ cichorij, bugloſsi, & acetoſæ & aliarũ herbarũ nõ definita quãtitate, ſingulorũ par doſis eſſe debet: vt quãtũ ſufficiet ad efficacis decocti cõfectionẽ tantum aſſumatur, nimirum vt ſuperſint ℥ iij. vel iiij. ſi vnica vice hauriẽdum fuerit pharmacũ. Sin ad plures inſtituatur, doces pro quantitatis ratione & modo. Quod ſi ex natura diuerſis vt herbis fructibus



ctibus, ſeminib. floribus & cæteris quę ſimilẽ doſin non agnoſcunt, præſcribatur ſine limitatione decoctũ, Pharmacopœ' nouiſſe debet, cuius quãtũ ſumere deceat. vt ſi ad conficiendũ clyſterẽ præcipio accipi decoctionis hordei 4. remollitiuorũ, prunorũ dulciũ, ſem. fœniculi, florum chamæmeli & violarum ℔ 1. confido pharmacopœũ eadem proportione, quę prius fuit tradita, aut non multum diſsimili ex multa cõſuetudine vſurum, alioqui ſanè vt rudioribus perpetuò illã explicatè præſcribimus.

Quę in decoctionibus præcipuè obſeruanda ſint, explicuim', adhibitis præceptis tum propriis tũ cõmunibus, quorũ vſum exemplis declarauimus. Sequitur vt ad particulares decoctiones progrediamur, & quęcunque decoctionem primum aut ſolum requirunt, expediamus. Cuiuſmodi ſunt iniectiones variæ & peculariter dicti clyſteres, plerique omnes ſyrupi, apozemata, gargariſmi, balnea, fomentationes & alia multa quæ ſuo loco tradẽtur. Quia verò infuſiones haud rarò decocta præcedunt, & decoctis ſæpiùs immituntur vt medicamentum aliquod abſoluãt, priuſquàm ad ſingulares decoctiones aggrediamur, de infuſionibus ex arte parandis breuibus placet diſſerere.

Reli

RElIqua desiderantur, quorum vice placuit adiicere ab eodem autore dictata in Syrupos, dum vsitatorum conficiendi modum vtendique rationem explicaret.

# LAVR. IOVB. VAL. DELPH. DE SYRVPORVM conficiendi modo, & vtendi ratione.

## CANONES DE SYRVPIS EX arte conficiendis, D. LAVR. IOVBERTO autore.

### PRIMA REGVLA.

QVantitas syrupi, quam tãdem supereſſe volumus, initio ęſtimari debet. Vt ſimpliciũ doſis maior minórve, nempe quanta ab autore compoſitionis præſcripta fuit, vel eius dupla, tripla, aut dimidia, ſumatur.

2.

Syruporum alii ex ſuccis parãtur, alij ex decoctione vel infuſione quarumuis partium plãtarum quæ earum vim aſſumpſerint.

Fructu



3.

Fructuum ſucci præſertim limonum, citri granatorum, & acetum ipſum prætenuitate coctionem minimam ſuſtinẽt, ob id ſaccharo iam purgato, & in quibuſdam ad electarii ſicci aut penidiarum cõſiſtentiam percocto, ſenſim affunduntur minore multò quantitate.

4.

Succi radicũ plurimam decoctionẽ ferunt, & quò diutius coquuntur, eò puriores euadunt: primùm itaque ad dimidias vel tertias coquuntur, colantur, & reſidere quieſcendo ſinũtur, biduo, triduo, aut amplius: quæ portio clara & pura eſt, paulatim inclinato vaſe ſecernitur, eáq; rurſus cum ſaccharo propè pari, percoquitur in ſyrupum.

5.

Herbarum ſucci inter illos mediã ſortiuntur naturã, & coctu ram mediocrem innoxiè ferũt. Ex crudo ſucco aut parum cocto parati ſyrupi inſolari debent, ne coaleſcant, ſitúmque ducant.

6.

Decoctio pro ſyrupo fieri debet, igne ex carbonibus, ligniſue ἀχάνοις, & non putridis, ne calor fumoſus alienam qualitatem cum empyreumate, medicamẽto inducat.

7.

Carbones prius sint omnino accensi, quàm vas igni tradatur, qui si coctioni minimè sufficiāt, alij ex foco semiusti sub stituantur, ne carbonum nouorum teter vapor coquenda vitiet.

8.

Coquuntur syrupi in vase quouis: sed qui exaceto constant, in vase lapideo, vel terreo ac figulino vitrato plumbeatóve, quod sit perfectè coctum, ne prauo aliquo sapore medicamentum inficiat. Abæneis acetū æruginem corradit, ob id vitanda quanuis stannata, qualia ferè in officinis habentur.

9.

Humor cui simplicia incoquuntur, vt plurimùm, est aqua fontis, aut pluuia, aliquando stillatitia, aut decoctum hordei, hydromel, vinum, acetum, serum lactis, & similia.

10.

Humoris quātitas admodū varia est, pro incoquendorum copia facilitate, & viribus. Quòd si pharmacopolæ arbitrio ea relinquantur (vt plerunque fit) ex sequentibus regulis vtcunque limitari poterit.

11.

Tanto largior aqua est assumēda, quāto longior futura est decoctio. Diutius



12.

Diutius coqui debent crassa, dēsa, dura, sicca, neruosa, membranosa, terrena & styptica: præsertim cùm attingens vis expetit. Vt etiam acria, quorum acrimoniam obtūdi volumus, & quęcunque vires firmas, valenter penitúsque mixtas habet. Eius naturæ sunt radices propè omnes cortices & ligna præter aromatica. glycyrrhiza recens longiorem multò quàm vetus coctionē desiderat: turbith & asarum nonnisi mediocrem.

13.

His contraria minus coquēda sunt, vt agaricus, flores propemodum omnes, & epithymum. Excipiuntur flos chamæmeli, fumitates, flores & semina centauri minoris, schęnanthos, & stœchas citrina, quæ longiusculam coctionem sustinent, quia fortiter mixtam habēt facultatē, & violæ, si vim purgantem in centro consistentem extrahere velis.

14.

Herbę & semina medium inter illa tenere videntur, ad quæ fructus etiam accedunt.

15.

Herbę recētes diuturniore quàm siccę egent coctione. Ex recentibus verò minus diu coquendæ sunt, absinthium, fumaria, thymus, hyssopus, endiuia & ady-

anthi ſpecies.

16.

Ex fructibus parũ coqui debent, quæ ſua dulcedine aut multa humiditate purgant, aut etiam aciditate lubrica, vt tamarindi.

17.

Ex ſeminibus, quatuor frigida maiora, & carthamus omnium minimam decoctionem ſuſtinent.

18.

Sunt, quæ nullam prorſus decoctionẽ ferãt, primis illis ex diametro oppoſita: vt aromatica prętenuia & valde flagrantia, moſchus, ambra, caphura.

19.

Cùm in eadem compoſitione ſimplicia diuerſæ naturæ habentur, quorum alia breuem, alia diuturniorem coctionẽ expoſtulant, aquæ mediocris quantitas ex omnium mutua compenſatione eſt vſurpanda.

20.

Eſt vero mediocris quadrupla ad ſimplicia, minima verò dupla, maxima ſextupla, ea obſeruatione, vt pro radicum ℔. j. aquæ circiter ℔. iiij. aſſumantur, pro herbarum viridium. M. iiij. ℔. i. ſiccarum verò ℔. ij. Semina ferè radicum naturam in eo ſequũtur. Aliorũ ſimplicium, dum his fuerit ſatisfactũ, parua habetur ratio.

Si lenta



21.

Si lẽta & glutinoſa recipiat decoctio, vel plures fructus, qui eam craſsiorẽ efficiãt, augẽda eſt aqua (vt in ſyrupo hyſſopi & de iniubis) alioqui nõ poſsit colari.

22.

Præſtat aquę plus quàm minus aſſumere, ne tandem cogamur aliam miſcere, quod dum neceſſariũ videtur, calida eſt aſſumenda, ne bullitio ſiſtatur, & recrudeſcãt ſucci: id verò tantùm licet, cùm ad finẽ iniicienda ſimplicia, nondũ recipit decoctio.

23.

Coquenda in lebetẽ, in quo aqua iam caleat, nõ tamẽ ferueat, iniiciantur. Primum coctu contumacia, ſeu quæ viribus adhuc integris longam ſuſtinent decoctionẽ: qualia ferè ſunt radices, cortices radicum, aut lignorũ, & ligna inodora, caque inciſa, aut modicè confracta.

24.

His ferè dimidio coctis herbæ recentes minutim inciſæ, aut torquendo manibus cõfractę, immittũtur, iis exceptis, quæ minus coqui debent.

25.

Poſt hęc herbę ſiccæ parũ conciſæ (aut ſi craſsiores fuerint) confractæ.

26.

Quibus coqui cæptis, mox frũct' exoſſati, & ſemine purgati, excorticati, atq;

(si magni fuerint) incisi. Deinde semina imponi debent, præter quatuor frigida maiora, & carthamum.

27.

Postremò, quæcũq; ob essentię tenuitatem aut virium imbecillitatẽ, etiã mediocri coctione examinantur, vt flores, & epithymum.

28.

Succi resiccati, lachrymæ, liquores, & aquę stillatitiæ sub finẽ iniiciũtur: atque si vino, aceto, vel alio liquore soluta fuerint, ad liquoris additi consumptionem extra ignẽ rudicula sẽper agitari debet.

29.

Quæ qualitates extremè insignes habent, aut partium tenuitate valent, ob idque nullam ferunt decoctionem, & aromatũ pleraque, moschus, ambra, camphura, sublatis ab igne aliis, miscentur adhuc calentibus, quando firmiora sunt vel iã magna ex parte refrigeratis, quãdo metuitur ne uis eorũ tenuissima calore soluta, in aerẽ exhalet. Piper coctionẽ fert, eoque magis gingiber.

30.

Quæ mixtas habẽt facultates, purgãdi & constringendi, si hanc tãtùm requiramus, plurimum coquenda sunt. Si verò illam, minimum, vel solùm infundẽda.

31.

Si mucosa quędã sint incoquẽda, vt semina



mina maluæ, mali cotonei, lini, fenugræci, aut gummi aliquod, nodulo ex linteo raro illigata decocto iam colato, & filo longiore, eoque contumaci incoquenda sunt, vt eorum vires præcipuæ extrahantur, nec decoctum iustò crassius euadat.

32.

Decoctiones pro syrupis igne lẽto faciendę sunt, initio tamen validiore, quàm in fine. Spuma supernatans cochleari foraminulento diligenter est detrahenda.

33.

Simplicia præsertim grauia, idẽtidem rudicula aut baculo sunt tolléda à fundo ne vrantur: leniaque immergenda vt coquant, & vires suas liquori tradant.

34.

Coctio fit ad ternas, vel dimidias, aut duarum partiũ consumptionem, pro medicamẽtorum crassitię, & tenuitate, viribúsque profundis, aut in superficiem solam occupantibus. Sunt quę vnica ebullitione cõtenta sunt.

35.

Ad syruporũ durabilem integritatem, non parum momenti adfert plena & matura coctio: nimia verò medicamẽtorum vires exoluit.

36.

Coctionis mediocris terminus est ferè hora vna: tunc verò cocta iudicãtur simplicia,

plicia, vt plurimùm, quando insigniter mutata fuerint in colore, & sapor ferè aqueus relicto proprio & natiuo percipitur.

37.

Radices & quæcunq; aridiora vel crassiora fuerint ante decoctionē macerari præstat, ne diutius bulliendo vires suas amittant. Ex præmaceratis enim facilius vis omnis extrahitur profundiórque elicitur, citra exterioris, aut superficiariæ exolutionem.

38.

Quandocunque iubent omnia, quæ decoctionem ingrediuntur, prius macerari, in quo non parum humoris absumetur, si acida fuerint eorum plurima: attamen eadem semper aquæ mensura conuenit, seu macerentur, seu non, quia non macerata diutiùs coquenda sunt, & id aquæ in diuturniore coctione absumitur, quod præ maceratione fuisset ebibitum.

39.

Aqua macerationis seu infusionis non est abiicienda, vt in recēti fiat decoctio, quia simplicium vim non exiguam suscepit. Acetum verò nisi ex professo retinendum iubeatur, post macerationem est abiicien



iiciendum, atque si alioqui medicamēto conueniat, præstabit nouum in fine decoctionis, vel in ipsa clarificatione affundere.

40.

Macerata eodem ordine, quo sicca, in decoctionem venire debent, non simul omnia, ob id singulas species seorsim infundere oportet, & cū suo liquore decoctioni (si quæ sit incœpta) immittere. Sit verò calida infusio, ne decocti ebullitionem sistat.

41.

Absoluta coctione, vas igni auferendum est, disco mundo tegendum horis quinque, sex aut amplius, vt omnia benè macerentur. Deinceps igni parum diu reddenda, vt duntaxat recalescant, tum demum per stamen colantur & exprimuntur.

42.

Expressio fit manibus, vel prælo, si efficaciorem velis decoctionem sed minus iucundam. Sunt qui simplicia non coquant, sed diutius tantùm macerent calida affusa, & tandem multum exprimūt, sic enim minus exolui simplicium facultates censent.

Colatura

43.

Colatura seu expressus liquor, ea quã titate sumendus, quæ instituto nostro respondeat.

44.

Is procul ab igne, vel potius igni redditus, vbi tepuerit, ouorum albuminibus iniectis, diu agitatur, donec quantum potest spumescat.

45.

Albumina pro singulis decocti libris, singula ferè sufficiũt, quamuis tria etiam libras sex & plures satis purgare videantur.

46.

Albuminibus non est admodum opus, si agaricus in fine decoctionis positus fuerit. Albuminum etiam loco est acetum, quod quæ recipiunt decocta, despumando coquantur, donec spumam emittere cessent. At meliùs & exactiùs purgantur, si albumina accesserint, tamet si post colaturam acetum recipiant: atque tum continuò est despumandum, quoniam acetum vel expurgato iam decocto spumam & spurcitiem quandam ia culatur.

47.

Idem præstare videntur, succi limonũ, arationum, & aqua vitis, sed omnium maxime vinum ex aridis granatis.

Saccha



48.

Saccharũ aut mel, paulò antè vel illicò post albuminum iniectionẽ imponi debent, alioqui albumina vruntur, & purgatio seu clarificatio non bellè procedit.

49.

Eodẽ tempore adiicienda, si qua sunt seorsim infusa, aut soluta vt agaricus, tamarindi atque similia.

50.

Nicolaus saccharum seorsum clarificare iubet, & clarificato decoctionẽ affundit, quo modo efficacior sed obscurior euadit syrupus.

51.

Sacchari libram vnam sic depurabis. Accipe eandem aquæ quantitatem, in qua oui albumẽ agitetur, donec in spumam abeat, in eam saccharum in frusta comminutum inice, coque ad dimidias & cola.

52.

Mel depuratur cum aquæ dupla quãtitate, ebulliens ad dimidiam partis cõsumptionẽ, detracta assiduè spuma: tunc addantur albumina oui singulis libris, singula, deinde calidum colatur.

53.

Saccharum esto candidissimum & mel purissimum, vt syrupus gratior fiat, nisi aliter iubeat compositionis author.

sacchari

54.

Sacchari & mellis quantitas si ab authore non definiatur, sumenda est dimidia ad expressum liquorẽ, vel paulò maior. Cõtrà ex succis parati syrupi æqualem, aut minorem succorum quàm sacchari, aut mellis portionẽ requirũt, quia breui decoctione, iam antea depurati, contenti esse possunt, & liquoribus expressis post decoctionẽ sũt efficaciores.

55.

Decoctio acceptis saccharo aut melle, & albuminibus ad depurationẽ, coquitur, donec feruẽdo parum abſit à supernatando, & effluendo. Vbi spuma subsedit, & decoctum sub ea clarum apparet: tunc igni aufertur & colatur, calidũ quidem si fuerit crassius, glutinosius & vix colabile. Tepidum verò aut frgidum, si lentore careat.

56.

Colatur per manicã Hippocratis purã, aut quod melius videtur. Per pannũ laneũ, clauis quatuor ab angulis firmatum.

57.

Quò frigidius est expressum, & pannus dẽsior, eò limpidior euadit syrupus.

58.

Transmittitur bis, ter aut pluries, si nõ clarucrit mutato etiam colo, si propter prioris



prioris sordem, opus est: & aliis albuminibus iniectis si necesse videatur.

59.

Pannum digitis exprimere licet, ne quid materię vtilis relinquatur, sed adeò tenuiter, vt nihil sordis eliciatur ne iterum sit colandum.

60.

Vbi coquẽdo & colando iam purissimum euasit expressũ, purgato interea & siccato lebeti redditur, & igne lẽto percoquitur, ad syrupi consistentiam.

61.

Satis coctus iudicatur syrupus, dum chocleari paulatim effusus, filum producit: vel dum gutta refrigerata digitis tractata hęret, aut fila ducit, vel vngui, marmori scutellæ imposita, nec fluctuat, nec in latum spargitur.

62.

Percocto syrupo, super esse solent immissi decocti ʒ. circiter duæ in singulis libris sacchari aut mellis, quod deprehẽdes ex bullari conditione, quoad enim multũ liquoris supereſt, in medio bullã excitat vnã eãque maximam, in ambitu paucas, & paruas. Dũverò ad syrupi crassitiẽ propiùs accedit, pro illa maxima bulla, multę vbiq; mediocres attollũtur.

63.

Aestate syrupi magis coquẽdi sũt, quàm hyeme

hyeme ne calore extremo facilè corrumpantur.

64.

Syrupi quò diutius durare debent, eò ad crassiorem consistentiam coquendi, & qui adstringũt cæteris diutius coquẽdi sunt.

65.

Præstat supra quàm infra modũ Syrupos decoquere: Nam minus cocti acescunt, aut situm contrahunt, vel alioqui corrumpuntur atque putrescunt. Nimiũ verò coctis aliqua tantùm portio perit, quæ in fundo vasis sacchari candi modo concrescere solet.

66.

Syrupus ex melle parat', minore eget coctione, quàm ex saccharo: illud enim minus corrumpi solet, magisque à putredine vendicat, ob id condita melle, diutius integra seruantur.

67.

Syrupus ex melle parat', quò minus coquitur, eò magis laxat: Et quò plus coquitur, eò magis adstringit.

68.

Cauendũ ne pro saccharo mel sumatur aut contrà, sed medici præscribentis intentio ad vnguem seruanda, quoniam illa viribus differunt, licet tamen in Syrupis, inspissationi ac indurationi (quod candire



candire vocant) obnoxiis pro singulis sachari libris ʒ.ij. mellis adiicere.

69.

Postremò si (vt in plerisque fit) aromatizatio requiratur ad eam præscripta, lineo panno raro in noduli formam inuoluere licet, & syrupo, qui post vltimam colaturam omnino depuratus ad iustam consistentiam coquẽdo, perducitur aliquandiu infundere, & aliquantum digitis exprimere: vel nodulum in medio syrupo, vasi quo seruandus est, appendere: vt sensim aromatum vim mutuetur.

70.

Syrupus iam absolutus, in vase terreo vitrato reponitur, in annum aut bienniũ seruandus integer. Et ne dum est sæpius portio sumenda, detectus ab aere immutetur, supernevas exactè clausum manet, & per rostrum longè angustioris orificij syrupus effunditur.

SYRV

## SYRVPORVM OMNIVM differentiæ, & vires ad curandi rationem certa methodo accommodatæ, eodem D. Laurentio Iouberto autore.

SYruporum alii alterantes dũtaxat, alij purgantes quoque sunt. Alterantes variis inter se differunt modis. Sunt enim quidã vtcunque temperati, vt syrupus capillorum Veneris, & melicraton: sed multò magis syrupus de succo bugloſi, & de succo boraginis: nec nõ syrupus quo radices bugloſi & eringii conseruantur. Aliis modò vna qualitas exuperat, vt calidias in syrupo de glycyrrhiza: frigiditas in bizant. simpl. Humiditas in syrupo de pomis redolet simpl. Siccitas in miua coton. etiam simpl. Melle Emblicor. inusitato. & syrupus conseruationis myrobala. Multò plures in duabus qualitatibus excellunt, vt calfaciant, aut refrigerent: simúlque aut humectandi, aut exiccandi vim habeant. Et calfaciunt quidem humectando, sed leuiter, mel



mel violatum, mel passularum, syrupus de granis dulcibus. Efficatiùs hoc præstãt syrupus Saporis Regis de pomis, syrupus de iuiubis simp. & cõp. Efficacissimi sunt syrupus de hyssopo & de Prasio. Calfaciũt verò cùm exiccatione syrupus de duabus radicibus, & alter de quinque. Mel rosatum colatũ, syrupus de bizant. composit. syrupus acetos. composit. oxymel. simpl. & comp. syrupus de menta, maior & minor. Calidiores & ficciores sunt, syrupus de cytro, & syrupus de eupatorio. Maximè verò syrupus de absynth. vterque. miua citon. arom. syrupus de calamintha & stœchade simp. & comp. quòd maximè calfacit & exiccat. Refrigerant simúlque humectant iuleb. violarum, syrupus violat. ex vna vel duabus infusionibus. Efficaciores sunt syrupus viol. comp. & syrupus de cucurbita, quos vsus malè spernit. vsitatorum verò efficacissimi, syrupus de nenuphar. syrupus de papauere simpl. & composi. Exiccant autem refrigerando iuleb. ros. syrup. ros. ex vna vel duabus infusionibus. syrupus de endiuia simp. & compo. Potentiores sunt syrupus acetos. simpl. oxysach. simpl. & composi. syrupus arantiorum acidorum, syrupus de granis aridis. Potentissimus denique syrupus de acetositate citri: syrupus de limoniis. syrupus de rosis sic-

Universidad de Deusto
Biblioteca



cis, syrupus de agresta, syrupus myrtinorum simp. & comp. syrupus de succo acetosæ, syrupus de berberis, rob. comp. syrupus de ribes, diamorum & dianucum, atque hæ sunt à primis qualitatibus sumptæ differentiæ.

A secundis nõ pauciores petũtur, cùm prædictorum syruporum alij incidentes, & attenuãtes, alij contrà incrassantes deprehendantur. Et rursus nõnulli sint detergentes magis: quidam verò constringentes. Alij denique medio modo se habent.

Ex mediocrib⁹ sunt syrupi de succo buglossæ, syrupus de succo boraginis, syrupus cõser. radicis buglossæ, & radicis eringij, syrupus de pomis vterq;, syrupus de liquiritia. Incidẽtes verò & attenuantes primi ordinis, syrupus capillorũ Veneris, melicratum, syrupus de duabus radicibus, syrupus de quinq; radicibus, syrupus de endiuia simpl. syrupus acetosæ simpl. oxysaccharum simp. syrupus de bizant. simp. & oxymel simplex.

Secundi ordinis esse merẽtur: syrupus acetosæ, composit. oxysacharum compo. syrupus de endiuia comp. syrupus de bizant. comp. syrupus arãtiarum aridarum, syrupus de calamento, syrupus de hyssopo, syrupus de prasio.

Tertij verò syrupus de eupatorio, syrupus



rupus de stœchade simpl. & composit. syrupus de artemisia, oxymel compositum. mel scilliticum, oxymel scilliticum simpl. & composit. His prorsus contrarij sunt qui incrassandi vim habent, vt iuleb violatum, syrupus violarus ex vna vel duabus infusionibus. Efficaciores, syrupus de iuiubis composit. syrupus de nymphæa, & syrupus de Cucurbitis. Efficacissimi syrupus de iuiubis, syrupus iuiubarum composit. syrupus violarum composit. syrupus de papauere simpl. & composit.

Detergent potissimum de granatis dulcibus, mel rosarum colatum, mel violarum. Efficacius mel passularum, mel anthos. Efficacissimè mel anacardinũ & mel Scilliticum.

Contrà adstringendi vi pollent, Iuleb rosarum, syrupus rosarum ex vna vel duabus infusionibus, syrupus conseruæ mirobalanorum, mel emblicorum, syrupus conseruationis corticum citri. Præstantiùs id efficiunt, syrupus de granis acidis, syrupus de succo acetosæ, syrupus de absynthio, syrupus de menta. Præstantissimè, syrupus de rosis siccis, syrupus myrtinus, syrupus miuæ citoniorum, syrupus de miua citoniorum aromatica, syrupus de agresta, syrupus de ribes, syrupus de berberis, syrupus myr.

compositus diamorum & dianucum. Accedunt tertiæ facultatis opera cuiusque particularim indicantes, vt cùm dicimus syruporum alios esse digestiuos seu concoctorios, alios adipsos, quosdam somniferos, alios bechicos, lenientes, expectorantes, deobstruentes, seu aperientes, saxifragos, diureticos sudoris aut mensium prouocatores, quosdam alexiterios & alios corroborantes. Digestiui humoris vocitantur, qui natiuum calorem circa eos versantem quoque modo iuuant. Et bilioſi quidem humoris digestiui sunt quicunque refrigerandi vim habent, seu humectãtes seu exiccãtes fuerint pro diuersa illius humoris acrimonia & tenuitate, vt syrupus violarum, syrupus rosat⁹ & his similes. Pituitę verò cõcoctorij dicuntur calefacientes, quibus incidendi, attenuandi & abstergendi vis ineſt, vt syrupus de stœchade, mel anthosathũ & similes. Ab iisdem crassi humores quoq; præparantur, qui tamen sunt magis terreni, vt melancholicus & crudus: ex quibus tophi in corpore gignũtur. Incidentibus & attenuantibus, quæ calefaciendo minimè exiccent, indigere videntur, cuiusmodi ferè sunt syrupus Saporis de pomis, syrupus de hyssopo, & alij quidam. Sitim mitigant refrigerãtes omnes, iucundi saporis, præsertim humectantes, vt



vt iuleb violarum: syrupus de cucurbitis & de nenuphare. Quinetiam exiccãtes & temperati, modò plurima aqua diluãtur, vt iuleb rosarum, syrupus capillorũ Veneris, oxysaccharũ simpl. Acetosæ cõposite, syrupus de limonib⁹, syrupus de granatis dulcibus, syrupus de succo bugloſsi & similes.

Hypnotici sunt, quicũque refrigerãdi & humectãdi insigniem vim habent, quorum præcipuus cẽsetur, syrupus de Papauere simplex, & de nymphæa. Iidem bechici esse possunt, cũ incrassandi vi polleant, qua sopitur humor pulmones irritans. Lenientes sunt, qui lentore suo exasperatis medentur, & raucitatem emendant: tales habẽtur iuleb violarũ, syrupus violarum, & syrupus de iniubis vterque.

Expectorant quicũque incidunt & attenuant sine astrictione & exiccatione, & quos crassi & terreni humoris præparatorios esse diximus. Ab his nõ sunt excludendi, qui acetum recipiunt, qui solùm attenuandi nõ etiam refrigerandi & adstringendi & exiccãdi vim retinent. Nam oxymel ad expectorandũ datur ab Hyppocrate & Galeno. Cúmque materia fuerit valde crassa, viscida, aut copiosissima, oxymel scillitium pro efficacissimo remedio.

Deobstruũt omnes incidẽtes, & attenuantes

Universidad de Deusto
Biblioteca



nuantes & detergẽtes, qui etiam pituitæ digestiui appellãtur. Ex iis verò quicunque minus calefaciunt, & exiccant, inter saxifragos habentur, præsertim acidi, vt oxymel omne: plurimum verò calfacientes,& exiccantes,diuretici sunt, & sudoris prouocatores. His tepidiores & minus exiccantes, dicũtur mensium prouocatores. Quinq; istas facultates,& expectorandi quoque vim obtinet nobilis syrupus de arthemisia, quarum singulas vt explicet variis liquoribus est dissoluendus,à quibus facultas, quam potissimum requirimus, iuuetur & limitetur. Corroborantes sunt, quicunque astrictione valent, seu calidi seu frigidi fuerint, cùm à causis cõtrariis imbecillitas accidere possit. Alexiteriorum appellatione veniunt quicunque aduersus pestem & septica venena atque etiam vermes conferre creduntur. Eiusmodi duplicia sunt,alia cum caliditate exiccãtia,vt prędictus syrupus de arthemisia, ad theriacæ vires accedẽs. Alia exiccãdo refrigerãt ex duabus qualitatibus putridis causis aduersantur, simulq; adstringũt virium corporis dissolutione prohibita. Tales habentur syrupi acidi,ex succo acetosæ,de agresta,acetosus syrupus, oxysacchara syrupus, syrupus de granatis,de acetositate citri,& de limonibus.In hoc etiã genere quartas facultates



cultates cõtemplari licet partiũ nomine significatas,quibus denotatur syrupo inesse quicquid parti, à qua nuncupationẽ accipit,familiaribus sibi affectib' laborãti cõuenire potest.Hinc nõnulli dicũtur capitales,vt syrupus de stœchade,mel rosatũ colatum. Stomatici,vt diamorũ & diannucum:arteriaci, quos leniẽtes prius nominauimus,syrupus violarũ compositus,& de iuiubis.Thoradici,vt syrupus capillorũ Veneris,de iuiubis,de glycyrrhiza,de hyssopo, de prasio:cordiales,vt syrup' de pomis,& succo bugłossæ, & boraginis. Stomachici,vt de absynthiovterq;, de mẽta vterq;,miua cytoniorũ aromatica.Hepatici,vt syrup' de endiuia simpl.& cõp. de cichorio cũ rhabarb.de eupatorio. Splenici vt syrupus de scholopẽdria, de calaminta. Nephritici,vt oxymel compositum. Vterini,vt syrupus de arthemisia:artitrici,vt oxymel scylliticum.

Hactenus syruporum alterantium differentias persecuti sumus. Iam cathartici veniunt explicandi, qui sanè pauciſsimi sunt, vt syruporũ appellatione minus digni videantur:si verùm est quod nonnulli censent hac medicamenti forma alterationem molitos esse, qui primò syrupos instituere. Porrò catharticorum alij bilem potissimùm purgant,vt syrupus violarum ex nouem infusionibus, quemad-

modũ aliqui parant,&alius de ſucco violarum iam ferè inuſitatus. Vtroque efficacior eſt ſyrupus roſarũ laxatiuus. Hoc verò potẽtior ſignificatur ſyrupus de ſucco roſarum. χολαγωγὸς poſtremus eſt ſyrupus de cichorio cum Rhabarbaro ex deſcriptione Nicolai Florentini. Atque hic quodammodo temperatus frigidos inter & calidos ambigere videtur. Superiores verò apertè refrigerant, id quod non ex accidente ſolùm ( vt quicunq; calidos humores expurgant) ſed & propria natura, ſeu tẽperamẽto. Syrupus de lupulo quodammodo temperatus bilem profligat, & obuiũ ſerum. Alij frigidiores materias expellũt, qualis eſt pituita, & melancholicus humor. Sed hunc præſertim aut eius ichore, ſyrupus de fumaria ſimpl. & qui eo potẽtior eſt cõpoſitus. Eiuſdem conditionis cenſetur ſyrupus de Epithymo, ſed priorib' magis calefacit, & purgantior eſt. His addimus quod mel Mercuriale appellitant hydragogon medicamentum, cuius tamen præcipuus vſus eſt in clyſtere. Syrupus mercurialis herbæ malè afficit ventriculũ,& magis eius ſuccus,ſi per os exhibeatur.

Supereſt vt vtẽdi modũ,& rationẽ tradamus, in qua nos tria potiſſimũ obſeruãda cõplectemur. Nempe ſub qua medicamenti forma, quãta doſi, & quo tempore commodius exhibeantur. Primò, medicamenti formam hîc dicimus, quæ ad conſiſtentiam refertur & ſpeciem artè compara tam: primùm verò vt cœpimus de alterantibus tractatio nobis inſtituetur. Syrupi per ſe aſſumpti, hoc eſt non diſſoluti, minus altè penetrant, & tardius agũt: ſed quas partes mox attingũt, multò magis afficiunt. Diluti verò ex ſeipſis minus habent virium: ſed promptius ad partes alterandas vel diſtantiores perueniunt: cumq; in tranſeundo non diutinam moram trahant, viribus ſatis conſtãtibus in eas agunt. Itaque habenda eſt ratio vicinitatis atque diſtantiæ. Nam ſi ventriculus ſit à ſyrupis afficiendus, integros & ſynceros præſtat aſſumere. Sin hepar aut lien dilui oportet: ſed multò magis quando proximè ad caput, thoracẽ, renes, vesicam, vterum, vel art' eorum vim peruenire volumus. Hac ratione moti Syrupos ad ventris affectus ſynceros eſſe volumus, vt à craſsitie adiuti eum, tracta lõgiore mora, abundè afficiant. Et quos diutiùs ore continere oportet, vt ſtomaticos propriè vocatos ad oris aut guttu ris affectiones, & alios ad fiſtẽdas incraſſando fluxiones, quæ in pulmonem aut ventriculum irruunt. His addere placet ſomniferos, cùm, ſi ventriculus ex frigiditate, aut longiore humiditate imbecil-

cillior euaserit,multò præstantiùs nobis videatur,illos ore tantùm continere diutiùs,ne si absorbeantur, deteriùs multò habeat ventriculus: possunt verò quàdiu os replent,suis qualitatibus magis cerebrum afficere,quàm longiùs distantes,& ab intimo corpore,sanè quàm os,calidiore retracti. Eiusdem generis habentur sensim deglutiendi ad raucedinem guttu ris,& tracheæ arteriæ asperitatem, vlcera & alios affectus. Huc referuntur qui ad expectorationem seu materiæ in pulmonibus infarctæ reiectionem propinantur,& Bechici omnes. Verũ ad pulmones multò faciliùs perueniunt diluti,eo modo quo potionis alentis haud negligendam portionem in illos deferri sinit epiglotis,omnium verò præstantissimè si iuspinus liquidiorem q̃ diutissimè ore cõtineat, & omnes qui in faucibus muscu los relaxet,remittatq; vt docet Galen.li. 4.Method.cap.7.Has syruporũ differentes indicationes partium situs proponit ex distantia,& propinqtate,præter quas nonnulli obseruant, vt si crassior humor alterandus fuerit:parum aut nihil diluatur syrupus,syncerior enim maiore vi cõtumaciorem materiam aggreditur,quod verum esse agnoscimus, dũ modo ad partem quæ illum continet,haud tardè permeare valeat.Porrò syrupi dissolui solẽt aquis



aquis stillatitiis quæ affectui conueniunt, vel partem affectam respicere credũtur. vel vtrumque præstant, vt syrupi vis duplici ratione adiuta sit efficacior, aut saltem minus ex dilutione refracta. Decoctiones ad id præstantiores videntur, cum simplicium suorum facultatem omnino referãt, q̃ aquis stillatitiis, vt vulgò parari solent,negatũ est. Hæ tamen prorsus negligendæ non sunt, cùm ex his potiones fiat limpidiores,& maximè penetrabiles,nec ad decoctiones parãdas quouis anni tempore & quacũq; hora simplicia instituto competentia,suppetant.

Decoctiones verò eiusmodi fieri possũt, quæ non paulò syrupi vires intendant,remittántve, pro medici arbitrio, quod aquæ minus possunt. Omnium maximè diluuntur syrupi ad remittendam sitim, vt magis humectent,minusq; sapiant medicamẽtũ, idq; vel simplice & synceriori aqua,vel cruda, vel parũ feruefacta, aut decocto hordei,aliáve quæ affectui cõuenire possit. Ex his duplicem assumẽdi syrupi formam colligas,altera est crassior, nõ diluta,altera liquidior & potabilis, q̃ iuleb impropriè dicitur,sub his mediocrẽ licet cõplecti. Sed aliis quoque modis vt variis medicamentorum speciebus admixti syrupi assumũtur, vt in potionib⁹ vocatis purgantib⁹, vermes enecãtib⁹ cardia-

cardiacis,somniferis atq; similibus, nec non gargarismatis,& variis iniectionib', atque apozematis. Opiatæ quoque syrupus recipere solēt,vt crassiora & aridiora in mediocrem consistentiam reducantur.Pillulæ iisdem sæpe malaxantur:trochisci finguntur, quin & vnguenta,& collyria quædam syrupos requirunt: præsertim verò mel Rosatum colatum,& syrupus de rosis.

Quòd ad dosim attinet ea admodum varia esse debet,nō solùm pro vtendi modo,sed etiam pro syrupi efficacia,iucunditate,partis afficiendæ distantia & assumendi vicibus. Digestiuorum,seu maturātium dosis frequenter est ad ʒ.ij.cū dupla liquoris diluentis quantitate.

Valdè refrigerantes, aut alioqui efficaciores &ingrati parcius assumedi sunt, vt syrupus de papauere, oxymel scilliticū,syrupus de Absynthio & similes quos ab ʒ.ß.ad ʒ.j.præscribim', aut coclearibus metimur duobus tribúsve.Qui ad partes longiùs à ventriculo disitas peruenire debent, cæteris maiorem dosim requirunt,vt cùm refractis ex longiore via viribus tandem ad locum affectum penetrarint,adhuc sit quo agere possint. Ore detinendi aut sensim deglutiendi non tàm quod afficiendas partes mox attingant,sed etiam quia pluri quantitate assumi



sumi nequeunt, & sæpius sunt renouandi:singulis vicibus parciore copia vsurpantur, & in frequentem vsum accipere inbemus ʒ.iiij.v.vj.vel plures.Eadem ratio est ὑδρελαίου quandoquidē parcior quātitas plurimo liquore diluta subinde bibitur.

Cùm verò Syrupi ad alias remediorū formas accipiuntur, quantitatis alius est modus,scilicet pro vnica potione,qualiscunque ea sit magna ex parte sufficit ʒ. j. conuenientis syrupi vel quartarij dimidium.In gargarismatis verò,iniectionib' & apozematis,quia sunt ad plures vices parata,etiam plurimum syrupi adiicitur, vt ad ℔.j.decocti ʒ.iij.iiij. plursve syrupi.Sic & in vnguentis atque collyriis pro medicamenti copia ( quæ parcior quàm prædictorum esse solet)addimus syrupi, pillulis ʒ j. aut alteram.Quātùm verò Opiatis vel Trociscis cōueniat, limitari nō solet,quia pharmacopœi, medicamentorum formæ conuenientis periti iudicio relinquitur.

Iam tempus assumendis syrupis cōuenientius contemplari decet,à qua tractatione sunt excipiendi,qui aliis miscentur remediis, nam eorum peculiaris ratio haberi non potest. At qui per se & synceri, vel in iulepi forma assumuntur,varia tempora tum vniuersalia, tū particularia sortiun

tiuntur. Accidit autem diuersitas pro variis morbi temporibus, & syruporum diuersa natura in hunc modum.

Morborum ex calida materia excitatorum initiis conueniũt diigestui, qui refrigerãdo humectant, quò humoris feruor extinguatur, & obtundatur acrimonia: deinceps verò, vt circa statum, & declinationem totã, modicè aperientes, incidentes, attenuantes, & abstergentes, quibus corporis meatus excrementis dicati patefiãt, & ab initio incrassatus humor, iam extenuatus à natura, vel medicamento faciliùs expurgetur per aluũ, vrinas, sudores, aut insensilem trãspirationem, sic enim prorsus vitatur recidiua.

Quando humor frigidus & crassus est concoquẽdus, seu calidum, seu frigidum excitet affectum, semper vtendum calfacientibus, & attenuantibus: ab imbecillioribus sumpto initio, progressum faciendo ad fortiores, vt vehementissimi in declinationem incidant: hoc tamen obseruato, vt dum calidior est affectus, minus calefacientia quouis morbi tempore præscribantur. Si morbus à defluxione dependeat, adstringentes & incrassantes ab initio pręscribãtur, quibus paulatim misceantur attenuando resoluẽtes, & abstergendo discutientes, vt tandem materia collecta puris dissoluentibus cedat.



Mitigantes sitim quouis tempore dari possunt, minus tamen prioribus morbi temporibus quàm in statu, quod etiã in accessionibus febrium obseruare præcipimus. Hypnoticis, id est, somnum conciliantibus, tunc ferè indulgemus, cùm æger assiduis vigiliis conflictatur, quod ferè accidit in statu acutorum morborum, quo tempore omnia sunt fortiora, vt scripsit Hippocrates. In chronicis morbis quia sunt crassiore frigidioreque materia, iis minus liberaliter vtendum, nisi quantum symptomatis magnitudo ad se conuertere potest. Bechici & lenientes quocunque tempore vrgent tussis, & asperitas vsurpantur. Expectorantes verò non, nisi quando facta est defluxio & aliqua sui parte, vel tota iam constitit, ab initio siquidem magis illam excitarent. Leuissimi autem incremento: fortiores statui conueniunt: & fortissimi declinationi, sed pro humoris viscositate atque crassitie alii atque alii.

Deobstruentibus vtimur, quoties obstructionum fuerit suspicio, præmissa leui purgatione materiæ, quæ in viis ductuum hærent, quouis morbi tempore, & donec in vrina appareant certa πέψεως indicia: à leuioribus autem (quòd in omnibus obseruare decet) semper incipiendum est. Saxifragorum, diure-

Universidad de Deusto Biblioteca



diureticorum, ſudorificorum, & menſes
prouocantium eãdem prorſus rationem
eſſe exiſtimamus: vt quandocunque expe
dire videantur, non niſi præmiſſa craſſio-
rum humorum in ventriculo, inteſtinis ac
primis venis occurrentium expurgatio-
ne, præſcribantur: ne præ illorum tenui-
tate excrementa in venas penetrent, atq;
ſubeant, à quibus maſſa ſanguinea craſ-
ſior euadat, & meatus extremi, ſeu vaſo-
rum oſtiola amplius infarciantur, augea-
turque tophorum materia. Eadem cau-
tio pertinet ad corroborantium vſum, ne
adſtringendi vi, qua pollent, excrementa
partibus ſeu continentibus impingãt ma
gis, infeſtiorem noxam allatura. Hæc
autem cùm omni tempore, quo eſt imbe-
cillitas conuenire videntur, maximè ta-
men in declinatione peritè abſoluta præ
cipuum locum habent. Aliis enim tempo
ribus fluxile & latum corpus eſſe præſtat:
non tamen reſolutum, quod opera leui-
ter corroborantium præcaueri poterit.
Alexiterij quando venenatę materiæ ſu-
ſpicio eſt, ſemper conueniunt: quippe
nullo nõ tempore noxa eſt à corde omni
ſtudio aduertenda: & mitigandus qui ſę-
uit humor. Particulare tempus ſeu hora
ſyrupis exhibendis conueniens etiam ad
modum varia eſt: Maturantibus enim aſ-
ſignare diluculum, vt ventriculo inani &
mul



multò ante prandium aſſumantur: ne ſci-
licet eorum vis obtundatur à cibo non-
dum planè confecto, aut recens indito,
quod Græci veteres non obſeruarunt.
Sua enim propomata, quæ noſtris reſ-
pondent ſyrupis, & Melicratum, oxymel,
ptiſanam, atque ſimilia in febrium ardo-
ribus nõ tanquam ſitis remedia tantùm:
ſed & materię præparãdę, & corporis me
atibus aperiendis, quacunque hora diei
opus videretur, offerebant. Nos ἀδίψοις
noſtris idem pręſtamus, & eadem vtimur
conditione, veteres in hoc ſuperantes,
quòd etiam multò efficaciores ſyrupos
inani ventriculo exhibeamus, vt viribus
magis integris humorum concoctionem
accelerent.

Hypnotici hora dormiendi maximè
à natura inſtituta, ſunt concedendi, ſed
à cœna longiùs, ne ventriculi concoctio-
nem ſua frigiditate impediant. Neque
ſatis eſſe puto tres aut horas quatuor tã-
tùm interponi, vt ſolẽt, cùm noctu quàm
interdiu prima concoctio longè tardior
ſit: proinde ad horas antelucanas diffe-
rendum cenſeo, quibus cum omnes ferè
maximè dormiant, ſomnus minore nego
tio conciliatur, & matutinum tempus ſe-
quitur, quod natura ſua remiſsius ægris
eſt, vt veſperè ſunt peiores magna ex par
te quicunque ægrotant.

Tussim mitigantes quorum natura est incrassare, cùm aliis omnibus horis, quibus id symptoma molestiam infert, tum maximè post occasum, quo tempore defluxiones magis excitantur, conueniunt.

Leniētes eiusdem ferè naturæ, illorum conditiones sequuntur. Expectorantes verò matutinum tempus amant, quo nocturna defluxio vel somni ratione inspissata, à syrupis verò incisa, & abstersa, opportunè tussi remota reiicitur.

Deobstruentes, saxifragi, diuretici, sudorifici, & mensium prouocatores, cum à tenuitate partium præcipuas vires obtineant, cauendum vt exhibeantur ventriculo cibos adhuc continente, quia crudi in altum propellerentur. Quamobrem digestiuorum more in aurora exhibendi potissimum, longè ante prandium, & à præcedente cœna longissimè. Qui secus faciunt, quos profligare tentant, grauiores morbos efficiunt.

Corroborantes cum maiori ex parte vi adstrictoria, & siccante præditi sint à largiore humiditate obtunduntur, idcirco tum maximè propinari debent quando partes roborandæ fuerint inanitæ. Alexiteriis hora nulla constitui potest, cum subinde assumendi veniant, vt cor bene muniatur: efficaciores tamen sunt inani ventriculo assumpti, vt qui à cibatiis



riis minimè eneruentur.

Ad purgantes syrupos iam conuertenda est oratio, vt varium quoque his vtendi modum explicemus: permulta eorum quæ de alterantibus diximus communia sunt, peculiaria omninò pauca. Conueniunt autem quòd aliàs synceri, aliàs diluti assummantur, & quòd non tantùm in syrupi, vel iulepi forma sunt vsui, sed etiam potionibus catharticis admisceantur, & tum opiatæ laxantes, tum pillularum massæ addita earum portio aliqua, vt plurimùm conficiantur, aliis autem remediorum formis conuenire non videntur. Porrò bibendi ferè omnes diluuntur, rariùs synceri exhibentur, diluti siquidem & facilius, iucundiusque potantur, & per viscera promptiùs meant. Dissoluuntur autem potius decoctis, quàm aquis stillaticiis, quoniā hæ duntaxat alterare valent. Decoctiones verò instituendæ sunt, quę syrupi vim purgantem intendere, aut certè non minuere possunt.

Quòd ad dosim attinet, ea est diuersa, pro syruporum efficacia, & humoris expellendi crassitie aut tenuitate. Imbecillorum enim maior quantitas assumi debet, vt syrupus de lupulis, de fumaria, simplex & comp. syrupus de epithymo, quorum

Universidad de Deusto
Biblioteca



rum pro vnica vice, vt satis purgent dosis esse potest ab ʒ.iiij. ad ʒ. vj. Potentiores, vt syrupus de cichorio cum Rhabarbaro, nec non syrupus rosarum laxatiuarum, violarum ex multis infusionibus, aut ex succo eorundem parati, abunde purgant ab ʒ.ij. ad ʒ.iiij. Succus Mercurialis melle conditur, quod mel mercuriale vocant, efficacissimè purgat ab ʒ.j. ad ʒ. ij. etiam in clystere: pro humorum verò diuersitate dosium talis habenda est ratio: vt qui syrupi tenuiora fugant excrementa qualia sunt biliosa, in minore quãtitate sumuntur: quæ grauia & crassa, in maiore, quia plus virium in his propellẽdis requiritur. Sunt verò, vt ex superioribus apparet, natura sua cæteris imbecilliora. Cæterùm quia non facilè, cùm sint crassiores bibuntur, dissolui solent decoctis, vt monuimus: hæc verò syrupi vim intendant oportet, si horum quantitatem minuere cogamur, vt vnica dosis non superet ʒ.vj. Quorum efficacior est facultas, etiam ʒ.ij. vel ʒ.iij. satis purgant, nempe nõ est necesse decoctionem superaddicam æquè purgare posse, cùm syrupus id abundè præstet.

In Apozematis, quæ vocantur, ista obseruari videmus à peritioribus medicis, vt quando ad catharticam decoctionem ca-



cathartici syrupi adiiciuntur, ea sit proportio qua singulæ apozematis doses cholagogi syrupi. ʒ.j. vel ij. alterius verò ʒ.iij. vel iiij. sunt habituræ. Quòd ad cæteras medicamentorum formas attinet, in quibus purgantes syrupi recipiuntur, quantitas eãdem rationem habet, quam in alterantibus præscripsimus. Vtimur verò istiusmodi syrupis (qui ad cætera cathartica si conferantur, imbecilliter omnino purgant) in statu neutro, dum morbi causa metuitur. Quin etiam per morborum initia, vt noxiorum humorũ portio aliqua detrahatur, & in declinatione perfecta, quò morbi reliquiæ expurgentur atque vitetur recidiua. Hoc verò tempore omnium maximè conueniunt, qui adstringendo purgare dicuntur, vel adstrictionem post se relinquere, vt syrupus de Fumaria compositus, & de epithymo propter myrobalanos, syrupus rosarum laxatiuus, de cichorio cum rhabarbaro. Adstringentia enim tandem assumpta roborant partes vi morbi relaxatas: nocent verò circa initia, quando fluidum corpus reddere oportet, vt quò natura volet, eò liberè expellãtur humores morbũ cõmittentes. Hora his assumẽdis in quibuscunq; purgantib. medicamentis conuenientior est matutinũ tempus inanito planè vẽtriculo, & multò ante pran

Universidad de Deusto Biblioteca



te prandium: cùm enim ad purgandum sint imbecilliores, cibo aut chylo permixti prorsus eneruarentur.

Plura de syrupis annotari possent: hæc tamen præcipua sunt, quæque iis satisfaciunt, qui ingenio minimè tardi morborum naturam & indicationes ad vnguem norunt.

CLA-



# CLARISSIMÆ CIVITATIS MONSPELIENSIS CIVIBVS OPTIMIS,

Laur. Ioubertus Medicus, & Ciuis amantiss.

Ἰγιαίνειν ἢ εὖ πράττειν.

*SOlent qui inito duello pugnaturi sunt, potentioris alicuius opem aduersus iniuriam alienã implorare, Viri Monspelienses: Ego verò nõ vnius vestrum alicuius, sed omniũ potius fidem auxiliumque hoc tempore implorem & obtester. Nec enim leuia aut ludicra petuntur præmia, vt inquit Poeta. Regia professio, magnique viri successio magna, tridui dimicatione maxima cõtenditur, cui summam voluntatem & studiorum vestrorum consensionem nunquam esse defuturam, perspecta mihi iampridem æquitas & prudentia vestra vehementissimè persuasit. Etenim patriæ celeberrimæ Delphinatum Valentiæ charitatem, splendidæ IOVBERTORVM & GENASIORVM familiæ meæ pietatem, illustrium auorum & parentum meorum necessitudines, singulari ciuitatis & Academiæ vestræ amori dignitatique*

fortissimè mihi postpositũ esse non ignoratis. Quid est in vllo homine Medico maius, quod aut abeò tribui, aut à vobis sperari possit: Quæ constantior in dignitatem & incolumitatem vestram cuiusquam beneuolentia vnquam reluxit? Omitto liberalissimæ educationis meæ moderationẽ summam. Prætereo exquisitissimæ doctrinæ sedulitatem eximiam: laboris & studii nostri Medici diuturnitatem non commemoro. quæ omnia Rondeletii præceptoris mei amantissimi eruditione & voluntate singulari diuinitùs me consecutum esse meministis. Obsecro tamen, vt eiusdem præclarissimum de me testimonium à vobis spectetur, vt cathedræ locoque suo dignissimum me, illum etiam iudicasse non dubitetis: quum ille ipse nuper moriẽs (heu pietas, heu prisca fides) ingentem monimentorum suorum supellectilem ex innumerabilibus discipulis suis mihi vni commendauerit: vt eundem eruditionis hæredem & librorum quasi præcipuorũ liberorum suorum tutorem, animaduersorem & promulgatorem fidelissimum haberet: quem & superioris amicitiæ memoria, & proxima cathedræ suæ Regiæ successione admonitum (eam enim iam tum animo præsagiebat) munere isto libentissimè perfunctum esse cõfidit. Iam si amplissimo Medicorum, Chirurgorum & Pharmacopæorum discipulorum cœtui huius litis iudicium fortè permittatur, an nõ cum sententijs suis in cathedram Regiam cupidissimè tollent, cuius doctrinam tot annos ambitiosissimè appetunt & sequuntur? Quàm plurimarum denique familiarum clarissimæ voces si audiantur, quæ



quæ mihi non in hac tantùm ciuitate, sed ex vicinis quoque vrbibus, pagis, agrisque salutis suæ custodiam quotidie deferunt, illustrissimam profectò tueris mei significationem vobis afferẽt. Sed creberrimis vocibus cathedram Rõdeletii Regiam, Iouberto gratissimo Rondeletii alumno & discipulo publicè optantibus, aures vestræ iampridem incaluerunt. Quamobrem à vobis omnibus spero, ciues optimi, honores & ornamenti multum mihi optari, à quo vrbis vestræ splẽdori, & Medicis adolescentium studiis laboris & industriæ plurimum tributum semper esse meministis, atque libentissimè omnium animis causam meam defendi & comprobari, cuius victoria cõmunibus multò magis quàm priuatis fructibus meis profutura sit. Valete.

## Quæstiones medicæ quatriduum disputandæ pro Regia professione, D. Laur. Iouberto assertore.

LAV-

Universidad de Deusto
Biblioteca



IN CLARISSIMI ERVDITISSIMIQVE DOCTORIS, MEdicinę in Academia Mõspessulana professoris Regij D. LAVR. IOVBERTI quæstiones, Epigramma FA. S. Vertuniano.

*Inuida turba suis quod te clamoribus vrget,*
*Heu doleo, ò Medici gloria summa chori.*
*At quia lenta tuas tenuit patientia constans*
*Tam validas vires, gratulor ipse tibi.*
*Phœbus adest Iouberte, tuos visurus honores,*
*Gestit & è Lauri cingere fronde caput:*
*Sume animos Iouberte, tuo speranda labori*
*Hic merces. Virtus, iam premet astra, tua.*

AD DISPVTATIOnis Iudices.

*Qui Medicis solus certare cohortibus audet,*
*Artis qui Medici prælia nulla fugit,*
*Regia pro meritis illi ventura cathedra est,*
*Non huic, à pugna qui malè fortis abit.*
*Ioubertus Medica solus tentatur in aula,*
*Solus regali munere dignus erit.*

LAVR.



# LAVR. IOVBERTI VALENTINI DELPHINATIS,

## QVAESTIONES MEDICAE.

*IAN EX BILE PORRAcea aut æruginosa in venis putrescente, febris excitari possit.*

FEBREM calidum & siccum morbum, quoties in humore sitã habet causam, ex eo qui similibus donatus est qualitatibus excitari, vt Hippocratis sentẽtiæ bene conuenit, sic perpetuum esse agnoscimus, tametsi vniusmodi febres nõ sint omnes humorales vocatæ. Siquidem ꝓbilis multiplici differentia, quantitate & cõsistentia, nec nõ varia cũ aliis humoribus compositione propemodum infinitæ febrium & continuarũ & intermittẽtium species oriuntur. Est autem πρασώδης καὶ ἰώδης, nuncupata bilis, omnium facilè calidis-

calidiſsima & ignea: quæ in ventriculo ſæpius, nonnunquam in venis, intemperie calida affectis, vtriſque, dũ aptior eſt materia, prouenit: excrementum omnium quæ in venis continentur, maximè perniciosum ac deleterium, ſi atram bilem excipias, quam extrema vſtio procreat, quę que morbos planè incurabiles excitare conſueuit.

Cæterùm, febris cuiuſque ſedes in corde eſt, quod vrendos, ignémque excitaturos humores à proximis vaſis ſuſcipere ſolet, ad quæ etiã ex viſceribus penetrare poſſunt excrementitii. In iis verò partibus ſi qui putre re neſciant, omnium maximè biles retorridę id quod largiorem humiditatem cum imbecillo calore deſiderat, effugiunt: nec aliud quàm aridiſsimorum, ſed tamé craſsiorum lignorum inſtar, materiam flãmę ſuppeditant, vſtionem veriùs quàm putredinem patientes. febrémque fouent de χώνωψι genere diuturnam, quum ſemel plurimus & craſsior in venis fuerit eiuſmodi humor: interpellatam verò, quoties tenuior parciórque citius abſumitur.

Quamobrem, ex bile porracea aut æruginoſa in venis abundãte quidem non tamen putreſcente, febris excitari poteſt.

§

3 *An in febre ſyncopali minuta purgatorium medicamentum adminiſtrari debeat, & quale.*

EBrium, quas à crebro ſymptomate ſyncopales neoterici vocant, Humoroſa quidem ex crudi humoris, aut bilis craſſæ ventriculum prægrauantis & cor laceſſentis copia: Minuta verò ex ſucco tenuiſsimo, & tam pauco vt effectui non ſatis reſpondeat, fieri dicuntur. vtraque aliàs continua, ſæpiùs intermittens eſt, de acutarum genere, & perniciosiſsima: quum nec facilè admittat phlebotomen, nec purgatio admodum tuta eſſe videatur, & in ipſis paroxyſmorum initiis alimenta plærunque ſint offerenda. At quum morbi quicunque ex ſuperfluo humore excitantur, euacuationem requirant, adeò ſuſpecta eſſe non debet ſyncope, quin quæ eam facit materia tollatur: ſaltem ab initio, dum vires alioqui eſſe validas conſtat.



Eſt

Universidad de Deusto Biblioteca



Eſt autem minutæ ſyncopalis hoc peculiare, vt quum tenuiſsimus valdeq́ue penetrabilis humor, & quantitate parcior, eam inferre dicatur, purgantibus medicamentis indigeat mitiſsimis quidē, ſed aſtringentibus & incraſſantibus: qualia ſunt rhabarbari dilutum & myrobalani, & hæ quidem calorem etiam humoris obtundunt & mitigant. Fortia verò καθαρτικὰ Galeni temporibus vſurpata, quoniam maxima vi humores prouocant, & exacuunt, nec non ventriculi (cuius hîc præcipua cura eſſe debet) robur diſſoluunt, iure ab eo non præſcribuntur. Omnium verò tutiſsima curatio erit per ἐπίκρασιν (vt vocant) adminiſtrata.

Ergo in febre ſyncopali minuta purgatoriū medicamentum adminiſtrari debet, adſtringens, incraſſans, & parum calefaciens.

3. An



3. *An in omnibus ſynochis frigida potio ſit ex vſu.*

Σύνοχος febris duplex ſtatuitur, vtraque ſanguinea, calidis, carnoſis, & ſucculentis, quiq́ue habitu corporis denſiore ſunt, peculiaris. Et altera quidem Ephemerarum, vel Spirituoſarum potius generi cenſenda, quę ex ſanguine laudatiſsimo duntaxat inflammato, ad ſeptimum vſque diem perſeuerare poteſt, calore nonnunquam vehementiſſimo, ſed nunquam mordaci. Altera putredinis particeps dicitur, vel acriore calore prædita, quod & à maiore quadam cōſtipatione vel obſtructione accidat: & ex ſanguine fuliginoſis calidiſq́ue recrementis abundante. Ergo vtrique facilè medebitur, qui mox πληθώραν auferet, liberæ tranſpirationis prępeditæ cauſam, ad λειποθυμίαν ferè miſſo ſanguine dum vires valent: & ea concedent quæ inſigni refrigerandi facultate prædita, febrē extinguere poſſunt.

Etenim quum morbus omnis contrarij ſui indicationem quandam præbeat, febris, vt febris eſt refrigeratio

nem

nem tantùm expoſcit, quam gelidæ aquæ largiſsima potio præſtat omnium ſaluberrimè: niſi (quod de ſynochi natura non eſt) viſcerum imbecillitas, tumor præter naturam, crudítas, vel obſtructio diſſuadeát. Nec obſtare queunt putredinis, ſi quæ affuerint rudimenta, quum per ſanguinis miſsionem ſublata omni conſtipatione, verendum non ſit, ne deprauati ſanguinis reliquiæ à frigida intus coërceantur, quin potius roboratis partibus ſolidis inutiles humorum portiones ſudoribus, vrinis, vomitu, aut deiectione reiicientur.

Itaque in omnibus ſynochis frigidæ potio vſui eſſe poteſt.

---

4 *An eadem ſit Carbunculi & Gangræna curatio.*

CArbunculus, Græcis ἄνθραξ, fit ex ſanguine atro & fœculento, qui dum feruens in partem aliquam ἀπόῤῥοος confluit, eam exurit, & cruſtoſum vlcus excitat, in cuius circuitu phlegmone feruens, grauemque dolore excitans



tans deprehenditur. Puſtulæ ſimiles ambuſtis eum quandoque præcedunt, nempe dum tenuis ἰχὼρ ſanguini craſsiori miſtus eſt. Febris verò aſsidua nunquam nõ comitatur, etiamſi externæ partes affectæ ſint, ea certè vehementior quàm ὑφεσιπελατώδεσι φλεγμοναῖς facit. Gangrænam definit Galenus, cùm pars ob inflammationis magnitudinem emoritur, ſed nõdum eſt emortua, vt quæ iam nigreſcit. Hæc enim ſenſum prorſus amiſit, moxque recidenda eſt: illa verò curari poteſt vacuato plurimo ſanguine parti affectæ impacto, cuius occaſione ipſa emoritur, & iis admotis, quæ excellenti ſiccitate partem à putredine vindicant.

Porrò quum ea carbunculi præcipua ſit pars, quæ affectui nomen dedit, vſta ſcilicet & in carbonem iam conuerſa: eiuſmodi verò prorſus emortua ſenſus expers deprehendatur: ſphaceli modo (qui eſt gangrænæ non curatæ terminus) tractari debet, cauſticis medicamentis, aut ferro cãdente, & ſcarificationibus quę ſyderationem circumſcribant & limitet. Multò minus quæ cruſtoſum vlcus ambit leuior φλεγμονὴ inſtar gãgrænæ curanda eſt, ſed illius quidem ratione mittendus ſanguis ad

Universidad de Deusto Biblioteca



λειποθυμίας vsque, si aliud nihil prohibeat: & vel pastilli Andronis (vt innuit Galenus) vel cataplasma ex orobo & oxymelite, aut de arnoglossa vocatum, admoueri debent.

Vnde fit, vt carbunculi & gangrenæ, eadem non sit curatio.

---

*An materia herpetis sit prius concoquenda quàm euacuanda.*

Ἔρπης (formicam Barbari vocāt) aliàs ab vlcere, aliàs ab exiguis admodum pustulis milij similib⁹ exordium sumit. Hic κεγχρίας dicitur: ille si cute summa cōtentus fuerit, Ἔρπης simpliciter: sin altius exulceret, ἐθιόμενος Hippocrati nūcupatur. Omnium causa est bilis, & in miliari quidem pituitę mista, in aliis verò syncerior: sed crassior ex vstione, ea quæ profundum vlcus facit. Nam herpetis absolutè vocati, etiam erysipelatis materiam vincit tenuitate. Siquidem adeò tenuis est humor qui herpetem infert, vt eum cutis remorari non possit. Erysipelas verò (soliùs cutis affectus, cùm fuerit exquisitum) ex sanguine & flaua bile iustò calidioribus, aut ex sanguine quidem,



quidem, sed feruido ac substantia tenuissimo, nascitur. Quod si vlceratum appareat, iam eiusdem cum herpete generis censeri debet.

Ad horum curationem, materia quæ assiduè parti affectæ suggeritur, exhaurienda, saltem auertenda est, καθαρτικῷ potius quàm φλεβοτομίᾳ. Quin sæpius clyster acrior sufficit, aut vrinas per ea quæ id modicè efficiūt prouocasse. Neque enim difficilis est bilis euacuatio (dummodò fluxilia sint interiora) eius quæ sensum effugientes carnosarum partium & cutis meatus penetrare potest: nec ceu crassior viscidiórque pituita vel incisione vel abstersione indiget, ipsa iustò tenuior & mobilior. Sed potius cogenda & obtundenda refrigerantibus, ne dum viscera repetere cogitur expellentis naturæ vim eludat, seque partib⁹ quas permeat altiùs insinuet. Verùm id cōcoquere non est, taliaque πεπτικοῖς prorsus aduersantur.

Igitur materia herpetis nō est prius coquenda, quàm euacuanda.

## 6 An duo tantùm sint modi expurgandi corpus à suis recrementis.

PVrgatio est eorũ quę solis qualitatibus, corruptáve substantia molestiam inferunt, euacuatio. Hanc natura primùm instituit, vt alimentarij humores, & spiritus omnium actionum instrumenta, purissimi euaderent: paranitque ad id conceptacula, & varios canales, quibus excepta περιττώματα, è corporibus reiicerétur. Est verò prorsus naturalis fæcum alui & vrinæ quotidiana excretio: simulque biliosæ & melancholicæ superfluitatis expulsio. Eòdem quoque pertinet cerebri excremẽtorum per oculos, nares, & palatum transmissio. Natura etiam mouet sudores, & sanguinem ab vtero vel hemorrhoidibus salubriter profundit, nonnunquam è naribus. Eadem vomitu expurgat ventriculũ, vt tussi pulmones & thoracem. Quinetiam interiora ab excrementis liberat excitatis in habitu corporis vlcerib', scabie, & variis tumoribus: quorum alii suppuratione facta manifestam excretionem patiuntur, alij per insensilem transpiratum discutiuntur. Et cùm natura ventriculo satietatem inducit, vt quandiu recenti alimonia non abutitur, illius & cęterarum partium



tium crudi humores coquendo absumantur.

Naturam Medicus imitari debet, totidemque modis corpus expurgare, quoties illa pigrior excretrice vim non satis exercet. Itaque per excellentiam dictis καθαρτικοῖς vtés, noxiam pituitam & bilem vtramque deiectione aut vomitu reiicit: διουρητικοῖς vrinas copiosiores mouet: ἐμέτοις & ἀποφλεγματισμοῖς cerebrum expedit: ὑφαγωγοῖς sudores prouocat: φλεβοτομίαις scarificationem, cucurbitulas, & hirudines sanguinis fluxui perperam cohibito substituit: βηχικοῖς pulmones & thoracem purgat: scabiem verò, pustulas, & vlcera facit πυρετικοῖς medicamentis (qualia sunt ῥυπτικὰ, σηπτικὰ, φαγεδαινικὰ, καυστικὰ, κηπτικὰ, & ἐσχαρωτικὰ) vel candente ferro. Iisdem varij tumores excitantur: excitatorũ verò alios maturat ἐκπυητικοῖς, alios διαφορητικοῖς omnino discutit. Insensili transpiratu quæ tenuissima sunt excrementa resoluit frictionibus, vnctionibus, balneis, & exercitatione. Denique inediam præscribit, purgationis vicariam, qua vniuersum (tametsi per accidens) corpus inaniri dicitur.

Non igitur duo tantùm, sed multò plures sunt modi expurgãdi cõrpus à suis recrementis.

7 *An plura sint quàm tria indicationum genera quæ ad medendum pertineant.*

INdicationem vocamus iuuantis & nocentis cõprehensionem, quę tam ab eo quod secundum naturam est, quàm affectu præter naturam desumitur. Verùm illa conseruandi, hæc verò medẽdi seu curatiua indicatio dici solet, quę remediorũ genus præscribit quibus cedat morbus. Scilicet hunc (vt aliud quidquis) per suæ naturæ contraria deletũ iri, cõmunis quædam notio dictat: natura verò morbi bene perspecta quali cõtrario sit vtẽdum mox docetur, manifestum reddet. Porrò nihil præter morbum curatiuam indicationem proponit, si vera est Galeni sententia, aliud nõ esse quod curationem indicat, aliud quod curatur: & curationem propriè dici, morbi ipsius profligationem. Quippe tametsi morborum causæ affectus præter naturam sint, atque sui ablationem per contrarias indicẽt, ea exactè loquenti προφύλαξις est, non curatio. De symptomatis idem cẽsemus, quæ



quæ saltem grauiora sunt & causæ rationem habẽt, suique sedationem indicant: Leuiora enim negliguntur, atque tolluntur cum morbo tandem.

Multò minus curatiuam indicationem proponit vel natura ægri, vel ambiens aër, quum ea non sint quæ curari debent: quin potius conseruationem illa suadet, hic verò tãquam profuturus aut noxius indicatur vel contradicit. Aër siquidem aliàs de remediis est, qualem cupimus arte nostra euadens, si talis non fuerit: aliàs curationi resistit, morbumque adauget. Tempus verò, & cœli status, & regio nihil quàm aëris conditionem certam innuunt: quemadmodum consuetudo, victus, ἀνάπαυμα, ętas, sexus, animi mores, atque similia naturalem corporis statũ demonstrant. Vires autem solam sui cõseruationem aliquando insinuant, non rarò negligũtur: vt præter morbum nihil curatiuas indicationes proponat. Non tamen dixerim cum Galeno, vnicam esse curationum maximè generalem indicationem, quæ Contrarietas vocetur: quum ea non sit agendorum insinuatio. Neque ea est quæ indicat, sed indicatur.

Ex his colligere licet, vnicam esse indicationis ad medendum pertinentis speciem, nō tria, aut etiam plura genera.

## 8 *An omne symptoma sit morbi effectus.*

Συμπτωμάτων quædam νοσώδη καὶ κατὰ φύσιν, nōnulla secundum naturam dici posse, ex Galeni doctrina colligimus. Hoc vel sanis, vel (si qui sint) neutro statu perfruentibus, facilè conceditur: illud morbi alicuius σύμπτωμα & velut vmbra est: vnde morbi magnitudinem symptomatis magnitudo arguere solet. Horum prima est functio læsa, quæ quia morbū proximè ac necessariò consequitur, in eius definitione locū sortita est: siquidē morbi actus præcipuus est nocere. Alia verò συμπτώματα genera nec semper, nec immediatè à morbo dependent. Ab his excludenda censeo quæ partibus non malè affectis euenire dicuntur: qualis est frustrata ventriculi concoctio iis assumptis quæ immodica sunt, aut inepta qualitate prædita. Neque enim functionem læsam rectè dixeris, quam pars exercere non debeat, quum habitum supponat priuatio.

Cæterùm



Cæterùm in motu deprauato συμπτώματα quædam opera naturæ dicuntur Galeno, vt sternutamentum & tussis: quod vis expultrix suo conatu partes commoueat: symptomatis verò præter naturam annumerantur, ob causas naturam ad huiusmodi motum cogētes. Illic enim causam motus effectricem, hìc verò prouocantem solùm contemplamur: ac si quis diceret, fieri tales motus à Natura præter naturam, scilicet irritata. Aliàs siquidem naturalis prorsus irritatio fit, vt in reiiciendis sanorum excrementis. Quoties verò vtilis fuerit excretio, licet Galeno σύμπτωμα apertè dicatur, non tamen præter naturam, vel actio læsa nuncupanda est, quin potius naturæ opus quod peropportunè ac salubriter fiat. Nimirum quando συμπτώματα iuuant, absolutè prater naturam dici non merentur, quanuis & materia toto genere præter naturam sit, & alicuius morbi causa.

Ergo symptoma omne morbi effectus est.

9 *An*

9 *An visio fiat emittendo, potius quàm suscipiendo.*

Xcerni sensus rerum externarum conceptis speciebus Animã informare & instruere nati sunt, velut satellites, aut nũcii quidam, vt animam nihil latere possit. Vt verò ii exerceantur & agant, multa consentiant oportet: nam præter sentiendi facultatem in anima sitam, in ipso corpore duplex ὄργανον requiritur: vnũ omnibus commune, Spiritus scilicet, purus & quantitate sufficiens: alterum benè conformatũ & suis partib. absolutum ἄριστον: præterea obiectũ proprium in certa mole, iustaq; distãtia, & conueniẽs medium: præsertim ad visionem, auditionẽ, & odoratũ. Ipsa autẽ visio peculiari quadam ratione fieri videtur, eius obiectorũ speciebus oculũ velut speculum subeuntibus, & in politissimũ lucidumq; humorẽ crystallinũ impressis, qua ratione is actu talis euadit, qualis semper est potentia. Quumque visio in ipso vidente, proindeque patiente, sit, non extra, quoties Animæ vis sensifica ad eiusmodi simulachra (formas quidẽ incorporeas, sed corporis ac materiæ conditionem vtcumq; redolentes) conuertitur, eas apprehẽdit atque dignoscit.

Cæterùm emissis vel spiritibus, vel (vt Optici loquũtur) radiis quibusdam visualibus, qui ad visibilium occursum reflectantur, aut in medio aëre vel aqua prædictis speciebus occurrentes eas velut irretitas ad oculos deducant, visum non fieri ex eo probatur, quòd tantùm esse non possit τὸ ἀκινητικώτατον, vt repẽtè ad astra vsq; pertineat; eiusq; motus cœli cõuersione diurna (omnium certè rapidissima) velocior futurus sit. His accedit quòd, si effluentes spiritus obiectorum speciem venarentur, quũ necessariò diuulsi à poris tunicarum prodeant, huiusmodi quoque obiecta visura sint, non cõtinua, aut etiã vnius vice, infinita. Neq; excellens sensibile τῷ αἰσθητηρίῳ posset officere, si ad illud radij tantùm peruenirẽt, ac non potius ipsum τὸ ὄργανον ἀχρειοῦν καὶ κρῖναι efficacissima sui specie corrumperet.

An verisimilius est (vt quod adeò cõtrouersum hactenus fuit, incertum relinquam) nec imaginum incursione, nec effusione radiorum



nos

nos cernere, quũ tẽporis momẽto plurima simul conspiciantur, & neutrius defectu hi obtusi', alii acutiùs videant: sed rerum cõtrapositarum imagines tanquam in speculo refulgẽtes ad interiorem sensum penetrare, Animãq; ipsam obiecta per oculos transpicere, quasi per fenestras lucente vitro obductas.

*Disputabuntur die Mercurii XIX. Martii, horis pomeridianis, & sequenti triduo integro, publicè in scholis Regiis M. D. LXVII.*

IOAN-



# IOANNES HVCHERVS ANTONIO SAPORTAE CANCELLARIO ET medicinæ professori Regio, præceptori suo clarissimo.

*EXcolui (Saporta præceptor medicorum Europæorum celeberrime) agellum meũ multos iã annos diligẽtissimè, eunque sentibus euulsis, subactis cæspitibus dissipatis lapidibus, & occato probè solo, omnibus omnium generum seminibus implere studiosissimè conatus sum, proxima iã mihi adest messis (auspicio tuo) iucundissima. Itaque tibi nunc agricolationis meæ, numini scilicet præsentissimo, iustissima vota persoluo. Hosque diuini tui erga me beneficii testes fructus consecro, dedicoque. meministi enim præcepti Vergiliani.*

Neque ante,
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quam Cereri torta redimitus tempora quercu,
Det motus incompositos, & carmina dicat.

*Et enim) præceptor humanissime) delatum statim in hanc vrbem tam amicè me cognouisti, tam accu*

*ratè*

ratè domi foriſque conduiiſti: tam beneuolè hortatus es: vt eximiam quandam in me virtutem, cuius amantiſsimus semper viſus es, intueri te & ſuſpicere, noſtrorum hominum plerique maximo meo decore ſuſpicati ſint. Vtinam verò clariſsimæ expectationi tuæ (ſi qua eiuſmodi fuit) labor & induſtria mea aliquando reſponſura ſit. Quicunque tamen è ſtudio noſtro medico, cui tàm fæliciter præfuiſti, fructus olim emerſurus eſt, huius vni tibi debitam gratiam laudemque ſummam & hæ & ſuturæ noſtræ literæ teſtabuntur.

O mihi tam longæ maneat pars vltima vitæ
Spiritus, & quantum ſat erit, tua dicere facta.

*Vale.*

## THESES MEDICAE TRIDVVM DISPVTANDAE IN GYmnaſio Regio medicorum Monſpeſſ. aſſertore IOANNE HVCHERO Bellonac, octauo Calend. Martij.

*An febrium putridarum duo ſint præcipua remedia, venæ ſectio, & frigidæ potio.*

FEBRIVM quas impropriè frigidas dici putamus, genus vtrunque continentem materiam, in cordis ſinibus incenſam antecedẽtem incenſioni tantùm comparatam in maioribus venis coercitam habet: eamque vel ex viſcerum vitio, vel victus errore, vel ex vtraque exortam: quam ex bile ſola, aut aliis etiam noxiis permiſta humoribus conſtare totam arbitramur.

Continens illa iugi acceſsionum ardore ſubacta ſenſim foras diſsipatur: antecedens critico impetu aliquando diſcutitur, hæc quoque ſummoueri maxima ex parte ſecta vena poteſt: reliquis eiuſdem pharmaco futuro permiſsis. Cordis autem genita iam intemperies ne hectici marcoris perniciem ſubeat, frigidioris aquæ perfrigerante potione, niſi quid aliud obſtet, commodiſsimè ſedatur.

Quare febrium (quę vocãtur putridę) duo præcipua ſunt remedia, alterum prophilacticum & venæ ſectio: alterum therapeuticũ frigidæ potio: Cætera ſunt infirmiora, topica & purgatio ipſa.

2 *An febrium intermittentium & continuarum eadem ſit curatio.*

FEbriũ intermittẽtiũ & cõtinuarũ antecedẽs cauſa proximaq; nõ ſedis, nec ſpe-

ſpecies ſed ſubſtantiæ varietate ſola differt,hęc enim copioſa craſſa,lętaq; diutiſ flagrās continętes ſuſcitat:eadē pauca tenuis & ſicca celerius extincta mox aliūde reuocata alternos remittentiū circuitus ſ inſtaurat.Illinc etiam alieni caloris ęſtus ac ſymptomatūꝫ omnium ſęuitia vehemētior:huic mitior &tolerabilior exoritur: In cæteris affectus iſti ſimillimi ſunt.

Proinde vtrique eorum generi ſimilia prorſus,ſed non eadem, neque eodem modo, remedia apponenda ſunt.Nam continentium accuratior natura victum exquiſitiſsimum,præcipitem ac copioſam euacuationē & medicamentorum omnium refrigerandi vim ſummam adhiberi ſibi poſtulat:at intermittentium remiſſa diuturnaque progreſsio,tenuiori præmiſſa venæ ſectione,& humorum prius coctorum expurgationē liberiorem medentis conſilio relinquit, victum pleniorem ægrotanti concedit:partium ac totius corporis refrigerationem minorem, ex medicamentorum viribus requirit: linimentorum,vnguentorum,cęratorum & epithematūꝫ, puluerum & balnęorum & frigidæ potionis.

3 *An ad curationem febris Hecticæ refrigerantia & humectantia ſunt ex vſu.*

Febris quælibet refrigeratione & humectatione aptiſsimè curatur.Hectica verò quæ ſimplex veraq; eſt,vel ex ephemera exorta, magis minuſque pro varia ſede ſua, refrigeranda & humectanda eſt:ſi tamen ceſſura remediis videatur. Nam quę rorem cambiúmve obſedit,curationem medicamentis validioribus ſuſcipit: quæ verò humorem primigenium penitus inuaſit,incurabilis eſt: niſi mitioribus fortaſſe medicamentis, in ſenilem tandem affectum quendam conuertatur. Eadem hectica cuiuſcunque modi ſit aut ardentis febris ſoboles, aut humorali aliqua comitata,non poteſt niſi cocto earum & expurgato prius humore,commodè ſatis curari.

Quare ad curationem omnis hecticæ febris,refrigerantia & humectantia ex vſu ſunt,interna externaque aer, cibus,potus,balneum, epithemata, cærata, pluraque topica parti tantùm affectæ admouenda, ne vicina lædatur.

4 An ad dextrũ vſum medicamentorum purgantium conferat indicatio ab aere ſumpta.

Cùm optima purgandi ratio idoneo medicamentorum purgantium genere, qualitate, quantitate & vſu diſtinguatur: Eorum certè quantitas, non ex ſola cauſæ oppugnandæ magnitudine, id eſt, humoris purgandi multitudine & ſubſtantia, ſed corporis etiam ægrotantis & aeris in quo ipſum verſatur tãquam cauſarum (quas vocãt ſine quibus nõ) perſpecta cõditione varia, cautius æſtimari debet.

Vt enim corpus ſiccum, dẽſum, robuſtum, aſſuetum, ſic aer frigidior ſiccior, leuiorem medicamenti vim eludit, contrà corpus humidum, laxum, inaſſuetum, ſicuti aer calidior & humidior vehemẽtioris remedij vſum abhorret quin etiam aeris tẽperies vires conſeruat, eaſdem intemperies debilitat.

Itaque ad dextrum medicamẽtorũ purgantium vſum confert indicatio ab aere ſcilicet ducta. Qui ex cœli ſtatu, anni tempore & regione perſpicitur.

Multorum



παράγραφος

1 Multorum dierum, menſium, & annorum media homini tolerabilis eſt.

PROBLEMA.

1 An vllum animal ſolo aere viuere poſſit, cùm triplicis ſubſtantiæ in eo iactura ſit.

2 Rigoris & horroris poſt paſtum cauſa eſt ſola ciborum qualitas frigida.

PROBLEMA.

Cur aſſumptis cibis iiſdem, conuiuarium alii incaleſcunt, aut ſudant etiã: alii frigent, aut horrent.

An bonæ valetudinis ſignum ſit extremorum à paſtu refrigeratio.

3 Non ſecoris paremchima, ſed eiuſdem venæ ſanguificant.

PROBLEMA.

An fœtus elaboratiſsi. Sãguinem, velcrudum attrahat.

An acrior calor ad concoquendum ſit aptior.

An omnis pars cocta à ſe ſubſtantiam ſuo calore imbuat.

4 Aquarum grauitatem, cruditatẽ craſſitiem coctio corrigit, cętera vitia auget earum maximè quæ æſtate deteriores fiunt.

PROBLEMA.

An aquarum pluuialis optima ſit, cùm

omnium facillimè corrumpatur.

Cur aqua prius cocta, refrigerat postea vehementius.

Cur aqua grandinis & niuis plantis prodest & animalibus nocet.

5 Pinguedinis calor efficiens est causa, non frigus.

PROBLEMA.

An quæcumque liquantur calore, concreta frigore prius sint?

Cur pueri viris pinguiores non sint, cum sint iisdem calidiores?

Cur præpingues fœminæ, virique solent esse steriles?

6 Secunda coctio à somno iuuat, prima & tertia ab eodem lædunter: idcirco cœna prandio parcior esse debet.

PROBLEMA.

Vtra facilius coquantur, assáve vel elixa?

Cur æstate quàm hyeme, illustri quàm tenebricoso loco, somnus magis nocet?

An proprietas quædam caloris natiui actionum sit effectrix?

7 Fibræ rectæ nullas euacuationes iuuant, sed transuersæ tantùm.

8 Reuulsio non debet semper fieri in distantissimas partes.

9 Menstruum sola quantitate fœminæ infensum est.

PRO-



PROBLEMA.

An variolæ & morbilli epidemii sint tantùm, vel pestilentes etiam: an ex menstrui pernicie vel cacochymia tantùm post ortum relicta suscitentur.

An fluentibus menstruis conceptus fiat, vt eorum vitio fœtus inficiatur.

10 Partes spermaticę spermate, sanguineæ sanguine nutriuntur.

PROBLEMA.

An ventriculi tunicarum non idem sit alimentum.

An ventriculus aliter nutritur, fœtu incluso: aliter eodem excluso.

11 Ventriculus chylo, cystis felle, vesica vrina nutritur, & renes seroso sanguine.

PROBLEMA.

Vtrius visceris alimentum est tenuius, hepatisne an lienis?

An ex amaris vita constare possit?

12 Spermaticæ partes sanguineis sunt natura sua calidiores in vtrisque etiã facultates naturales, semper viuo animali integræ permanent, non otiosæ aut debiles.

PROBLEMA.

Vtris partibus procreatrix facultas inest potentior, sanguineisne an spermaticis?

Vtrum calidius est, sanguis ne an sperma?

13 Vnica causa est attractionis naturalis, similitudo substantiæ.

PROBLEMA.

An alia vi humectantur partes resiccatæ rerum inanimatarum & animatarum.

An sanguis ad sectam venam attrahitur, vel impellitur.

14 Medicamēta humores antipathia fugant.

PROBLEMA.

Si medicamenta humores sympathia trahant, cur è cadaueribus mortuorum non trahant.

An vllum medicamentum infixa spicula & surculos attrahat.

15 Venena in certum diem exhiberi non possunt.

PROBLEMA.

Vtris naturis venenum frigidum magis obsit, frigidisne an calidis.

IOAN.



# IOAN. HVCHERI PROPHILOSOPHICA MONSPELIENSIS ACADEMIAE LIBERTATE AD EIVSDEM PRINCIPES doctores medicos, Oratio. X. Calend. Martii habita, Anno 1567.

MVLTA sunt in medicina (patres ornatissimi) nequaquam diligenter satis explicata, de quibus dubitare me sæpe cogit summorum medicorum diuturna vehemēsq; cōtentio: tum verò perdifficiles & perobscuræ quæstiones illæ mihi semper visæ sunt, quas Laurentius Ioubertus pater & præceptor meus multò iucundissimus, tam acutè & eruditè à peruulgata veteríque scholæ medicæ opinione nuper remouit: vt hanc etiam mihi veri à

vobis audiendi, & cognoscendi cupiditatem hoc tempore excitarit. Quamobrem hoc à vobis primùm contendo, ne ad has disputationes meas iudicia domo facta deferatis. Sed ex vobis ipsis, hoc in loco iudicetis. Deinde si qua fortassis veteris medicinæ infirmiora principia, firmissimis rationibus nostris cõuelli & labefactari apertissimè videritis, ne repugnetis: sed veritatis potius, & me & vnumquemque cõdiscipulorum meorum, qui in hac dubitatione mecum versantur, amicè & beneuolè moneatis. Tum verò si quam opinionem falsam mentibus nostris comprehensam animaduerteritis, eam ipsam humanitate & eruditione vestra singulari penitus euulsam deleatis. Nunquam enim doceri à vobis eruditissimis præceptoribus meis coargui, & refelli turpe mihi putem. Neque rursus à Laurentio Iouberto viro eximio hanc eo animo proditam disciplinam esse arbitror, quam hodierno die tueri apud vos mihi visum est, vt eam teneri à nobis siue ratione vellet: neque vt priuati nominis studio, veterum scriptorum gloriæ tenebras vllas offunderet: cum in omni re, tum in artib' præsertim docendis & præcipiendis fluctuãtium iudiciorum varietate perniciosius nihil vnquam duxerit. Sed vt vni veritate necessariam opem



opem offerret: cuius amantissimũ eũ semper fuisse, tum vos ipsi, ex tam diuturna eiusdem consuetudine recordari: tum ex oratione mea cõsequi, si me hoc tempore audiatis, facillimè possitis. Neque nos si non omnibus antiquorum medicorum placitis constantissimè animos nostros adstringamus: si ab iis aliquãdo dissideamus: si denique hanc dissentionẽ nostram voce styloque persequamur: impij & nefarij sceleris, aut seditiosæ & turbulentæ in re medica volũtatis protinus esse condemnandos.

Multa igitur à veteribus, tum medicis, tum artificibus reliquis, in singulis artib' ingeniosissimè inuenta, & accuratissimè exposita esse profitemur: sed eorundem grauissima errata nõ inerti & ignauæ posteritati fuisse animaduersa ac correcta: multaque quotidie à vobis ipsis in argumẽto medico animaduerti & corrigi posse, atque iudicari huic scholastico populo vestro debere contendimus. Etenim si quis vestrum amplissimam aliquam hereditatem à parẽtibus relictam, ædibus, aruis, agrisque non satis aptè instructam, & distinctam acceperit: qui in ea tamen arborum ordines, ædium, fenestrarũ, ianuarum, rerumq; omnium veterem formam ad maiorem familię suæ fructum, locique amœnitatem prorsus immutare si verebitur:

tur, qui non stultè desipere? quî non turpiter delirare videbitur? Atqui vnusquisque vestrum (patres ornatissimi) iisdem diebus horisque, iisdem vocibus, & illustrissimis huius Academiæ regiæ testimoniis doctor medicus & infinitorũ liberorum pater, qui suauissimis medicinæ studiis vobis alendi sunt gloriosissimè declaratus est: quibus vberrimam illam præceptorum omnium suppellectilem maiorum nostrorum industria olim comparatam, nunc omnibus sordibus diligẽtia vestra absterſam, omnibus doctrinæ vitiis & sophismatis exhaustã liberalissimè impertiri debetis. Qua in re singulare Iouberti nostri studium suspicere, & eximiam in nos omnes discipulos voluntatem admirari ac laudare nunquam desinemus.

Agite enim superiorum regum nummos aureos argenteósque nouis quotidie titulis & imaginibus inuictissimus rex noster insignit & exornat. Antiquissimum sapientissimorum Gallorum sermonem, Poetarũ & oratorum forẽsium vulgus, nouis vocibus indies permutat. Atque illi ipsi tamẽ non vt temerarii rerum nouatores vituperantur: sed vt fortissimi linguæ Gallicæ instauratores celebrantur. Vos autem artium prẽstantissimarũ magistros & principes non satis arti



artificiosam medicinæ methodũ à veteribus traditam emendare, eandem luxuriantibus truncare, deficientibus locupletare, & falsis præceptis perpurgare, pueriliter pudebit? At verbis nũmis nouis Gallorũ Respub. hodie facilè caritura sit. Quorũ cõmercia & societates oẽs iisdem vetustissimis aptissimè antea cõtinebantur. Artis verò medicæ necessario & vtilissimo fructu carere nequaquã eadem possit. Adolescentibus Romanis alienę vitæ crimina scisciтari & concionibus publicis traducere ac insectari, non integrum modò, sed laudabile etiam habitũ est: quòd perditorum hominũ amẽtiã ac libidinẽ aptissimè cohiberi, proborum autem virtutem ad glorię studiũ vehementissimè pronocari hac maledicendi licentia putaretur. Nobis verò omni vitiorum alienorũ reprehẽsione interdicatur: vt indoctis omnibus summã prẽstãtissimarũ artiũ pulchritudinẽ detestabili ignorãtionis suæ dedecore, cõtaminare liceat. Eruditis eandẽ conseruare, aut augere, etiã prẽclaris institutionibus suis nõ liceat? Quòd si malè agendũ potius quàm nihil omnino agendum esse, vetus ac prudens opinio fuit, atque bellũ sæpè q̃ pacẽ magnis rebus publicis optãdum magis esse, tũ veterũ Romanorũ funestissimis exẽplis, euersa Chartagine, tũ etiã nostris calamitosis tẽporib',

restituta nuper suo domino Cisalpina Gallia clarissimè cõpertum est. Equidem censeo hanc in sentiendo scribendoque controuersiam acutissimis hominum nostrorũ ingeniis cõcedi oportere. Vt otio cuilibet, quod cùm rebus omnibus, tum artibus, & disciplinis perniciosissimum esse consueuit: quodlibet etiam negotium anteferre consuescant. Vtinam (patres ornatissimi) vtinam nostris Gallis Deus immortalis hãc mentem deinceps immittat, vt vtilissimis maiorum nostrorum laboribus frui, quam eosdem imitari, aut superare, gloriosius sibi non esse ducant: neque eorum cuiusquam authoritatem insulsissimo errore veritatis antè ponunt: quæ firmissimo suo robore nixa dum omnia præse despicit, ac aspernatur, omnium bonorum copiosissimos fontes, hominum generi profundit ac suscitat. Quæ vis Græcorum philosophiam ad tantum honorem extulit? veritatis. Quæ vis Latinorum eloquẽtiam perpoliuit ac consumauit? veritatis. Quę vis Europeorum Christianam religionem fundauit ac propagauit? veritatis. Hęc enim in Gręcia Socratem à Sophistis distraxit. Socrati Platonem aggregauit. A Platone Aristotelem separauit. In Italia Ciceronem ab Atticis Stoïcis & Amethodis Oratoribus longissimè semouit. Eadem apud Christianos.



stianos, Paulum in Petrum, Augustinum & Cyprianum aliosque complures propriis stylis in seipsos armauit. (Libentissimè prætereo recentiores dissentiones eas, quas miserorum ciuium nostrorum cruore placatas victores ipsi lugent.) Ea ergo veritatis vis est, vt præter seipsam suspiciat neminem: omnesque omnũ hominum temerarios sensus fortissimè perfundet. Quæ antiquos illos (quos modò nominaui) acerrimos pietatis Christianæ vindices, Spiritꝰ sancti præsentia Augustissimos, tanto amore sui perfuderat: vt refelli etiam æquissimis animis paterentur. Et vos Paganorũ quorundam memoriam tam superstitiosè coletis: aut eorum nomina tam auiliter peiorescitis, vt à falsissimis quorundam decretis non posse quenquam sine nefario scelere deficere iudicetis? Hæccine sit vestra antiquitatis memoria? Hæccine vestra fortitudo? Hæccine sit libertas illa philosophica, qua cæteros artifices medicorum genus semper superauit? A Cadmo quodam in Bœotia serpentem olim occisum poetæ fabulantur, ex cuius satis dentibus exorti immanes, quidam & agrestes homines, sese mutuis postmodum vulneribus confecerunt. Fuit ille videlicet literarum in Græcia, sicut Corax & Tisias in Sicilia, inuentor primúsque dicendi artem & præcepta

præcepta conscripsit, quibus eruditi ingeniosissimi homines, alii aliorũ errores oppugnare dum veritatem cõsequerentur, nunquã destiterũt. Hoc ergo saluberrimũ omnis antiquitatis exẽplum ita à vobis retineri oprem (patres ornatissimi) non vt Pyrrhonis more, à rebus omnibus assensum cohibeatis: neque ex Academicorum consuetudine, cõtrarias in partes pertinaciter disserendo iuuẽtutẽ nostram diutius in hoc puluere retardatis, sed vt spretis aliorum iudiciis, si quãdo ea titubare vobis incõstãtius videbuntur, quid quacunque in re medica verisimum sit, inuestigetis, idque cum populo hoc vestro scholastico, humanissimè communicetis. Zoilus Homeromastix petulantioris linguę (qua Homerici carminis decus iniquissimè violauerat) Ptolomeo iustissimas inediæ pœnas dedit: Neque enim sui eum sumptibus alẽdum esse rex existimauit, qui Homero, à quo multi vbique gẽtium tum pascebãtur, doctior haberi cupiebat. Nos sanè Hippocrati. Gale. & Auicẽnæ, post Apollinem & Aesculapium, summa omnia in re medica tribuimus: atque immensam immortalis Dei bonitatem, in iam excellentibus procreatis eorum ingeniis agnoscimus, & vnicè prædicamus, tantùm



tùm abest vt eos laude sua spoliari velimus: à quibus docemur, nutrimur, & ornamur. At eos tamen homines, fuisse nõ ignoramus, quibus errare, falli, decipi, nobiscum commune fuit. Itaque eorum errata, si quæ nobis occurrant, ita candidè, & benevolè à vobis emendari cupimus, vt nulla vsquam contumelia lacessantur. Quid? quòd si se ipsi sæpissimè confutarint? Hippocrati Auicennas sine ratione, quàm philosopho cuilibet verisimis vtenti argumẽtis, prima quarti mauult credere. An non eundem vicesima tertii acerrimè reprehendit, quòd corde prius iecur conformari statuisset? idem Galenum prima primi tanti facit, vt se eius interprætem ambitiosius profiteatur. An non eundem tanquam omnis philosophiæ ignarum alibi irridet, cuius ramos aliquando, sed radices nunquam degustarit? Auicennam ipsum quam multorum errorum manifestissimè cõuictũ vos ipsi quotidiè cõdẽnatis? Omitto cęteros (tanquã minorum gentiũ Deos) obscuriores medicos: quorũ vacilantẽ doctrinã si qui excutere & aspernari nõ audeãt ij. profectò ab equo Horatiano nullo modo differe vobis videri possũt. Noti sũt poetę versiculi:

Cernus

*Cervus equum pugna melior cõmunibus herbis*
*Pellebat, donec minor in certamine longo,*
*Imploravit opes hominis frænumque recepit:*
*Sed postquam victor discessit ab hoste,*
*Non æquitem dorso, non frænum depulit ore.*

Illi enim eorum authoritati, quorum doctrinæ sese semel commiserunt, ita se addicunt penitusque consecrant: vt multa ab illis temerè ac inerudite prodita probare constantię causa cogãtur. At qui veteres illi scriptores, si modò reuiuiscant, ignauiam ac superstitionem nostrã meritò insimulent: quod paucis quibusdam refutatis & immutatis sententiis authoritatẽ suam prorsus abrogari conqueramur: cùm indoctos solos, nõ habere, quid sibi detrahatur, semper viui crediderint. Neq; Hippocratẽ ipsum, à sedipso reprehendi puduerit. Audimus à quibusdam, nimium superstitiosis in re literaria viris nullum opus, quamuis eruditum, nisi idem sit antiquũ, laudari, noueáque omnia tanquam recẽtia viua, vehementer improbari: quasi verò bonis ingeniis excitandis alendisque natura hoc tẽpore defatigata sit. Aut centenarii annorum numeri accessione, vllum scriptum, melius fieri possit. Quod si ita esset, homines certè nostros, quos prouectiori iam & senescente tempore nasci, & erudiri contigit, antiquis omnibus multo



eruditiores existimari oporteret. Quare si muliebres istorum superstitiosorum, & inanes querelas respiciatis (Patres ornatissimi) si eorum maledicentiæ metu compressi in omnibus priscorum hominum erroribus hæreatis: Si musarum medicarum templum aliena imitatione tãtùm non propria laude vestra decorare pergatis, quid (quæso) aliquis vestrũ, qui primus in æternas animorum sedes euolarit, veteribus illis huius Academiæ proceribus respondebit: à quibus (expulsis Auicennæ tenebris) clarissime Hippo. & Galeni lumina in hoc theatrum illata sunt. Multa etiam in re Anatomica & Therapeutica vanissima Græcorum & Arabum commenta delecta, & emendata sunt. Quis (inquam) aliquis vestrum respondebit maioribus illis percunctantibus, quemnam huius gymnasij statum reliquerit? quem nuntium posteritatis suæ illi accipient? Miseram hanc Academiam in hæc incidisse tempora, quibus externas literas adorare & venerari cogatur, æstimare eas, ac emendare falsas non ausit? eo præcipitatam esse ærumnarum culpa vestra Academiæ suæ conditionem, vt miserabili seruitute irretita ex solis antiquorum imaginibus & exemplis tanquã sanctissimis Lycurgi legibus Sparta, viuere ac sentire, ei sit necesse! Pœnitebit illos profectò (si qua ijs rerum humanarum cura superfit) tantorum

laborũ, quibus pro vindicãda eius libertate vitam suam semper exercuerunt, vt eã non solùm barbariem omnem à seipsa arcere, sed cum veteris Græciæ & Italiæ Medicis laudibus certare etiam, eãsque aliquando superare possit. Multum profectò dissimilem Latinorum hominum fortitudiné fuisse, testes sunt Pomponij philosophi lachrimæ, qui audita Athenis Græcæ Ciceronis declamatione, tum Græciam suam non solùm armorum, sed literarum etiam gloria, qua semper cæteras gentes antecellere ei contigerat, spoliatam esse à Romanis grauissimè lamentatus est. Horum omnium exemplis vtinam vos omnes ita commoueri possitis (Patres ornatissimi) vt non leuia quædam tantùm doctrinæ delicta corrigere, sed tractandæ etiam totius artis nostræ in Hippocratis, Galenique libris confusam, præposteram prolixam methodum secernere, digerere, & conciliare, vt facillimè potestis, sic lubentissimè tandem aliquando velitis. Musicus & suauis aliquot vocuum concentus vnius soni discordia tollitur ac displicet. Sublata iuris & iudiciorum authoritate rerumpub. quantumuis floxens status cuertitur. At sublatis è præstantissima veterum Medicorum facultate, paucis quibusdam disciplinæ vitijs, non leges medicorum à vobis labefactabuntur, sed splendorem & existimationem suam



suam sapientissimis consilijs vestris consequentur. Nisi verò siquis ita amens insanúsque videri, quàm recentem molliorisvitæ ac doctrinæ Sacerdotum Romanorum reprehensionem iustam, vtilémque rei publicæ Christianæ fuisse fateri malit. Nos certè Lycurgi illius regis calamitosus casus non latet, qui contempto libero patre cùm vites amputaret, sibiipsi crura incidisse fingitur: quoniam interdicto Thracibus vini potu, à quo ipse abhorrebat, fortes alioquin & bellicosos eorum animos prorsus eneruauit. Itaque veram & legitimam Hipp. & Galeni, aliorúmque vetustissimorũ Medicorum doctrinam, nulla animorum acerbitate aut arrogantia repudiari. Sed quod ab illis prætermissum indagari, quod falsò additum detrahi, quod diminutum adiungi, quod obscurè explicatum omni sententiarum & orationis lumine illustrari à vobis sine vllo præiudicatæ opinionis pondere, nos omnes discipuli vestri postulamus ac deprecamur: neque veremur, ne ista alienorum errorum matura modesta, ac prudens emendatio vestra vllam contemptæ vetustatis infamiam huic celeberrimæ scholæ post hac allatura sit: Fuerit, igitur Galen. (hunc solum medicorum nominabimus) florentissima vrbe Roma, eruditissimo seculo optimis imperatoribus,

populo innumerabili, ingenti simplicium medicamentorum ex toto orbe conquisito rum copia, Græci sermonis peritia, & Diuino etiam munere, medicus Græcorum fœliciſſimus, diligentiſſimus, eruditiſſimus maiores etiam laudes, si quis velit, his adiũgat: non aduersamur, non reluctamur dum modò rationum eius momenta expendere, dum argumẽtorum vim perlustrare, dum eruditionem eius tentare, eique si quando nobis non arriserit, iudicia nostra quàm humanissimè opponere liceat, vt quemádmodum cæteris in rebus minimum virium & firmamenti quantumuis à magnis viris profecta falsitas habet. Sic in re literaria, apud vos imbecilla sit, dominetur in mercatorum commercijs, iaceat in salutis humanæ custodia, valeat in opinionibus imperitorum hominum, sed ab ingeniis sapientum repudietur. Spero me iam paradoxorum nostrorum thicon reprehẽsionibus (si qui fortasse erũt) copiosè satis respondisse: de me ipso, breuiter, perorantem obtestor vos (Patres ornatissimi) benignè patienterque exaudire. Equidem insscio & imprudente Laurentio Ioubertho præceptore meo optimo feci, vt vllã de eius monumentis mentionem hoc tempore locóque facerem. Sed cum illum intelligerem eo animo semper fuisse, & rebus omnibus veritatem vnam studiosissimè præferat; cuius causa suam in horas sententiam mu-



mutare paratus sit? Speraui illum propalam positis suis à me tabellis Apellis more doctissimorum ac amicissimorum hominum iudicia quibus illis subijcerem excepturũ, & obseruaturum (quod laudabitur à vobis aut vituperabitur) lubentissime esse. Vehementissimè autem semper optaui acerrimas de eius doctrina dissentiones eas, quibus perturbari hoc otium nostrum Academicum sæpissimè consueuit concordi & consentiente vestra omnium voluntate communíque vestro iudicio placari. Quam ob rem vos omnes imploro (verissimi Dialectici ac æquissimi rerum iudices) vt adsitis, cognoscaris, iudicetis, quid de veterum scriptorum authoritate, quid de ingeniis eorum, qui nunc viuũt: quid denique de philosophica viuendi & disserendi libertate, nobis deinceps cogitandum sit. Hæc enim omnia (Patres ornatissimi) ex hac disputatione mea expectantur: hic tam diuturnarum (quibus Academia hæc diutius iam laborauit) contentionum finis ex æquitate ac sapientia vestra toto hocce triduo repetitur. Hoc denique sempiternum huiusce Academiæ decus & ornamentum ab authoritate vestra conten ditur. Quę vos hoc tempore, hac inspectante, audiente & consentiente concione apellat (ô fortissimi & prudentissimi viri Sapporta Cancellarie, & Gryffi Decane) qui maximis diuturnisque laboribus & vigilijs

Universidad de Deusto
Biblioteca



vestris summam in ea ipsa potestatem adepti estis vt Pithagoricam istam, quicquid antiquis visum sit: temerè approbandi necessitatem, Hisque sedibus regiis indignissimâ seruitutem lõgissimè à se amoueatis, exterminetis, propulsetis: Atque veterem platonicæ Academiæ disputandi, scribendi & sentiendi libertatem, quodcunque cum Iudicio & veritate coniunctam videatur, hodierno vestro beneficio sibi restituatis: vt ab iis duobus Illustrissimis viris (à quibus suo iure debet, plurimum adiumenti dignitatis, & splendoris accipere) vestris temporibus possit.

*DIXI.*



*PRVDENTIA, DOCTRINA, & virtutibus insigni viro, D. Honorato Castellano, Regis Galliarũ Medico, & Cõsiliario, Reginæq; Archiatro, necnon Academiæ Mõspelien sis Professori Regio, domino suo obseruando, Ioan. Posthius Germersheimius, S. D.*

NVLLA EST omninò præclara virtus: quæ nõ æmulationem quãdam habeat: & afflatu inuidiæ attingatur. Quod, nisi fallor, & tu olim (Castellane honoratissime) expertus es: & Laurentius Ioubertus, Academiæ huius in re Medica professor dignissimus, experitur quotidie. Is enim, quia & docendo, & scribendo, & medicinã faciendo, nomen sibi, ac famam comparauit amplissimam: crabrones (vt est in prouerbio) irritauit: & bilem nonnullis commouit zoilis: qui cum virtuti diffidant suæ: alienis laudibus disrumpuntur. Ideóque nullum non mouent lapidem: vt Iouberti iubar clarissimum excitatis ex Acheronte nebulis obfuscare, atque adeò extinguere totum possint. Quos ille probris vicissim perfundere nequaquàm cogitat: abest

id à naturæ eius: abest à moribus plurimùm. Ea denique homini est religio: vt inimicitias fugiat: & iniuriarum facillimè obliuiscatur. Id saltem vt considerent cum animis suis, obsecrat: non modò præposterum esse, & à boni viri officio alienum alienæ virtutis detractatione sibi laudis aliquid quærere: sed etiam illiberale, in alienis vel iustè insectandis vitiis libenter occupari. Quid hęc fortè dices, ad me? Nisi quid te detinet, audi. Clamant calumniatores, Iouberti num noua subinde excogitare Paradoxa: noua in scholam adferre dogmata: quibus & discentium ingenia implicet: & vererũ euertat plàcita: id verò minimè ab eo ferendum esse cõtendunt. Quorum alterum libenter ipse confitetur: & Paradoxa se nullius hominis vel amore, vel odio: sed veritatis indagandæ studio incitatum, scripsisse affirmat. Quę tantùm abest vt doctis & absque felle legentibus improbentur: vt etiam probentur maximè. Alterum verò, vel ipso tacente, nos (nos inquam, auditores, ac discipuli eius) verum esse pernegamus. Ea enim est doctissimi viri in veterum medicorum scriptis ex explicandis dexteritas: ea in docendis rebus prudentia: & cum eloquentia coniuncta facilitas: vt, (quod pace aliorum dixerim) ætatis suæ nullo sit inferior: is porrò veritatis amor: vt in publicũ noui adferat nihil: quod vel argumentis certissimis demõstrare non pos-



sit: vel doctissimorum hominum non cõprobet autoritas. Cúmque, vt Iuris peritus ait, non opus sit verbis, vbi rerum adsunt testimonia: ego dictata illius in Gal. de facul. natur. (quæ proximis superioribꝰ annis hîc in auditorio frequenti à multis fuere excepta) amicorum, ac cõdiscipulorum vsus consilio, in lucem edere, etiam ipso nesciente, non sum veritus: Idque eo feci, vt & quid docuerit, publicè constaret omnibúsque & ad exteras quoque gentes aliqua inde perueniret vtilitas. Tibi verò, Castellane clarissime, has Iouberti tui lucubrationes dedico: tum quia talium rerum iudex es optimus: tum quia Iouberтum ipsum (si ipse eas edidisset) idem facturum fuisse, ex quadam illius ad te scripta epistola (quæ ad finem Paradoxorũ est addita) intelligo. Te enim pro meritis tuis amat amore prorsus singulari: te & in oculis, & in ore habet assiduũ: téque summis, vt dignus es, laudibus in cælum effert. Adde, quod zoilos istos, vbi nomen cõspexerint tuum, latrare tandem cessaturos, certò mihi persuadeam. Quapropter vt & libellum hunc benevolo suscipias animo: & Iouberto tuo tuam in ipso defendendo consuetudinem præstes, semper etiam, atque etiam à te peto. Ita enim alacrius eo quo cœpit pede perget: & Rempublic. literariam monumentis amplificabit suis. Nam quantus, quantus est, totus industria, totus labor est

est. Quæ duo quàm rarò inueniantur coniuncta: nemo est, qui ignoret: siquidem ingenio siquis valet, in studio ferè languet. Hic verò licet ingenio sit maximus: in studijs tamen ingenio parem semper adhibet diligentiam. Cuius rei ego, qui conuictor eius fui, testis possum esse verissimus. Quare & Guil. Rondeletius (quem honoris, ac felicis memoriæ causa nomino) viuus eum habuit charissimum: eidemque librorum suorum post mortem edendorum curam, ac emendationem moriens commisit: in quam curam, vt optimè de se meriti præceptoris vltimæ voluntati satis faciat, toto nunc animo totaque cogitatione incumbit. Quod sanè me mouit primùm: vt de negotio hoc suscipiendo cogitarem: cùm autorem in iis, quę dixi, perficiendis longo tempore viderem fore occupatum. Præterea audaciorem (fateor) me reddidit Bonefidius: qui in Paradoxis idem antea fecerat: neque tamen ob id Ioubertum, quæ eius est humanitas, illi succensuisse vnquàm intellexi. Similem ergo veniam in facto non dissimili eundem mihi daturum, planè confido. Quin potius alios mihi reprehensores non defuturos suspicor: quod falcem in alienam, vt dici solet, messem immiserim: atqui ego rumores illorum (dummodò patronum, & autorem huius messis habeam pacatum) omnes vnius æstimabo



bo assis. Interim verò nobis agrum non ita sterilem, aut malè cultum esse sciant: vt non & nostras, Deo iuuante, messes proferre aliquando possimus. Quod superest, Castellane ornatissime, vt hanc meā audaciam cādidè interpręteris, méque honoris ac nominis tui studiosissimū, in eorū quos virtus tua addixit tibi numerumadscri bas oro. Vale fœliciter, Monspessali Nonis Octob.

1657.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PETRVS BENEDICTVS
*Auenionensis, Ioanni Posthio amantissimo condiscipulo*
S D.

IN EA semper fui opinione, vt existimauerim nihil esse perniciosius quã ea in vulgus edere que nulli prodessent, obesset vero multis: Cõtra nihil quod hylarius & humanius ab omnibus excipi debeat quàm doctorum virorum & explorate iamdudum probitatis scripta. Quod quoties paulò penitius apud me cogito, toties exopto vt pauciora hodie extarẽt scripta, sed vices & numeros supplerẽt ex illis aliquot quã aliquam aut temporis aut ignis, aut belli iacturam misere perpessa, veluti præmaturo senio cõfecta, ad me vsque peruenire minimè potuerunt, nisi fortè, mutila, lacera, caduca. Quàm preclarè & feliciter ageretur cum tota republica literaria si priscorum illorum philosophorum (quorum in dicendo authoritas, in docendo facilitas, in scribendo grauitas, nunquam non admirationi erit) scripta his nostris prostarent tẽporibus. Sed quid? ea est misera mortaliũ conditio, vt præsentibus bonis frui nesciãt, absentia summe repetãt votis. Ea etiam nostrorũ hominum stoliditas vt ambabus amplectantur vlnis, sæpius osculentur, & quasi heluones deuorent atque deglutient, quæ de rebus ludicris & nihil nisi turpe & sordide sonantibus sancta prodeunt ad risum tantum comparata. Quæ verò de philosophia mathematicis medicina præclarè & eleganter ad vsum & salutem mortalium viri minimé dilutę fidei aut pœnitendi nominis edidire, vix ex ipso titulo cognoscuntur. Verùm hoc mali genus non ptioribus primo tantum illis seculis sed & nunc his diebus desæuit. Nam quotus quisque est hodie qui si semel aut iterum bonarum artiũ scholas triuerit, sui nomine apud omnes æstimationem fieri non velit editione inepti cuiusque opusculi? Quorum verò scripta in dies atque horas à doctioribus expetuntur & expectãtur, hi quasi tanquã Pythagoræ adhuc discipuli tacent, aut si quid scriptis mandẽt, apud se continẽt, vt nisi post obitum eorum prodeunt opera. Sed quamuis id magno cõtingat hominum incõmodo fit tamen interim vt maior laudis fiat accessio doctis & probis hominibus. Quemadmodum enim inter stultos, prudẽs maiorem sui parit admirationes: sic inter ineruditos eruditus. Quare siquo vnquam tẽpore hoc verò maximè doctorum hominũ (quorũ videlicet est summa penuria) edenda sunt scripta, celebranda memoria. Nec est quod nos terreat zoilorum (qui doctos vnguibus & calce impetũt) turba: pluris enim semper feri vel vnicum doctum illum quidẽ & prudentem hominẽ, quam ex his mille qui de rebus

Universidad de Deusto
Biblioteca



bus propositis vel optimè iudicant, potius quodam bilis feruore & impetu, quàm maturo rationis assensu. Moueat nos reipublicæ, cui nati omnes sumus, vtilitas. Memineris (optime Posthi) te cum suscepisti excudẽdũ hoc Iouberti opus, suscepisse negotium, quod relpublicæ erit vtilitati, Iouberto honori, tibi in omne æuum commendationi, zoilis terrori qui ex aliorum laudibus sibi infamiam parunt, & ex aliorum vita præclarè & prosperè acta mortem sibi consciscunt. Quid verò agas? Passim enim regnat & diuagatur suis comitata furiis ἡδιαβολὴ pestis, aduersus quam nulla est antidotus, ἀλεξιφάρμακον nullum, vt nihil sic ab illius dente tutum, nihil quod illius incendia restinguat. Omnis natura ferarũ & volucrũ, atque serpentum & marinorum domatur. τὴν δεγλώσσαν οὐδεὶς δύναται ἀνθρώπων δαμάσαι, ἀκατάσχετον κακὸν, μεστὴ ἰοῦ θανατηφόρου. Sed de illis pluribus tecum aliâs: nunc tantũ memineris D. Ioubertum, nos tantis apud se obstrinxisse beneficiis, vt agnoscendo ne dicam satis faciendo esse non possimus vnquam. Ne timeas ne liber hic excussus explodatur. Nam is est libri author apud omnes totius Italiæ, Hispaniæ, Germaniæ & Galliæ doctos viros, vt mihi facilè persuadeam, ferit, vt si velut cœpit ita progrediatur, eius scripta omnium manibus auidè & candidè excepta ferantur. Quòd ad me attinet



tinet hunc & docentem, & scribentem, & medicinam factitãtem, ad vnguem imitari conabor. De te verò non aliud quã de meipso hac in parte sentio. Cæterũ si quid aliud ex authore habes quid in publicum edere velis, fac me si lubet certiorẽ vt quæ eo dictãte tecũ excepi, conferãtur, & repurgata magis prælo cõmittantur. Nec te remoretur quod sæpe audiuimus ab ipso Iouberto, qui sibi in suorũ operum editione minimè placere dicebat; est enim Ioubertus vir modestus, & qui parum de se & suis scripte sentit. Sed huiusmodi est doctorum virorum indoles, vt cum ab aliis maximi habeãtur, hi seipsos negligant, vixque suo ingenio, iudicio memoriæ sidere audeam. Attamen eorum vt sunt reuera præstantissima ingenia, matura iudicia: sic scripta maximè digna quæ in æs incidantur. Quamobrem (optimè Posthi) perge quo cœpisti pede. Nã id si feceris, feceris quod in posterũ tibi cum cęterę medecinæ cãdidatis maximè arrisérit. Vale.

***

EORVM QVÆ DE SVO POLLICETVR D. LAVR. Ioubertus operũ, Catalogus.

1 *Anatomes facillima explicatio.*
2 *Commentarij in libros Galeni, de ossibus ad tyrones.*
3 *In lib. duos de elementis secundum Hippocratem.*
4 *In lib. tres de tẽperamentis, & lib. de inæq. intemperie.*
5 *In lib. de vsu pulsuum, & Isagogen ad Tenthram.*
6 *In lib. primum de sanitate tuenda cõmentarius, & in reliquos annotationes.*
7 *In libros de differentia & causis morb. & symptomatum.*
8 *In librum, tertium, quartum, quintum, sextum, decimumtertium, & decimumquartum methodi medendi, annotationes.*
9 *In lib. secundum ad Glauconem.*
10 *In librum de tumoribus præter naturam.*
11 *Guidonis chirurgia accuratissimè emendata, & annotationibus illustrata, Latinè & Gallicè.*
12 *In Pauli Aeginetæ lib. sextum, qui est de χειρουργία, commentarius.*
13 *Logique pour les chirurgiens, dictee l'an 1563.*

14 *In lib. primum Corn. Celsi de re medica.*
15 *In lib. sextum περὶ ἡμιῶν Hippocratis.*
16 *De antiquorum Gymnasiis & Palæstra.*
17 *De antiquorum balneis solemnibus.*
18 *In lib. quintum Galeni de simpl. medic. facultatibus.*
19 *In Mesuei lib. de simplicibus medicamẽtis purgantibus.*
20 *In Pauli Aeginetæ lib. septimum, qui est de simplicib. medicamentis.*
21 *In dispensarium pharmacopeorũ animaduersiones.*
22 *La theriaque, & le methridat, pour les Apoticaires.*
23 *Therapeutice, hoc est methodus curãdi morbos omnes.*
24 *De calculo tractatus.*
25 *Erreurs du populaire au fait de la medecine, & preseruation de santé.*
26 *De risu lib. duo, Latinè & Gallicè.*

Catalogus operum D. Rondeletij, quæ ex testamento fuerunt commissa eidem Ioubertõ, breui in lucem prodibit, cum eiusdem Rondeletij vita.

# VALENTINI HESSI, EPIGRAMMA, AD Iohan. Posthium.

*Iubertus ista, quæ videtis, publico*
*Dictauit auditorio.*
*Ergo latère noluit: nec, si velit,*
*Reuocare iam queat domum.*
*Quoniam volant passim tot exemplaribus*
*Labore scripta maximo.*
*Quid impediret ergò, Posthi candide,*
*Quominus & illa publicis,*
*Vt digna sunt, describerentur litteris?*
*Nil, nil, amice: nec time*
*Ne quispiam bonus tibi succenseat,*
*Aut clamitet factum malè.*
*Quin apud amicos, candidósq; iudicis*
*Laudem assequere, & gloriam:*
*Quod, dum Iuberti, qui docet doctissimè.*
*Doctrina carpitur malè:*
*Tu simul honoris consulis tanti viri:*
*Discentiúmque commodis.*
*Siquis tamen dentes caninos exerat,*
*Mordere siquis te velit:*
*Tibi ecce Castellum patet fortissimum,*
*Quo nil Honoratum magis:*
*Hoc, hoc subito, Iane, propugnaculum,*
*Et hîc eris tutissimus*



# EPIGRAMMATA IN HONOREM CLARISS. DOCTISSIMIQVE viri, D. Laur. Iouberti, &c. Medici expertiss. & in cæleberrima Academia Monspelienſi Professoris Regij, Ioan. Posthio Germeshemio. M. D. Autore.

*Quis varias melius Rondleto nouerat herbas?*
*Qui nostri melius corporis historiam?*
*Verùm hoc sublato, quis erit Rondletius alter?*
*Dic rogo, dic nobis Phœbe: Iubertus erit.*

## ALIVD.

*Qualis erat, quantusq; fuit Rondletius in vrbe*
*Monspelia, donec viuere fata dabant.*
*Talis erat, tantusq; fuit Gesnerus in vrbe*
*Heluecia quisnam post modò tantus erit?*
*Phœbus adhac: nostra succedet in vrbe Iubertus*
*Gesneri partes deinde Bohinus aget.*

## ALIVD.

*Non mea, quod lator, præsagia vana fuerunt:*
*Mompeliæ ascendes pulpita celsa Scholæ.*
*Pulpita, quæ magnus Rondletius antè tenebat,*
*Qui fama impleuit Solis vtranque domum.*
*Gratulor, applaudóque tuo, vir maxime, honori,*
*Et precor æternum nomen vt inde feras.*
*Vt magis vsq; tuam videant clarescere famam,*

*Quàm tibi sunt hostes, hinc doleántque magis.*

ALIVD.

*Quòd tibi sunt hostes, non est, Iouberte, dolendū:*
*Sic tua quandoquidem gloria maior erit.*

ALIVD.

*Sume animos, Iouberte, tibi victoria parta est,*
*Grata bonis cunctis: sed male grata malis.*

IN

IN CLARISSIMI DOCTISSIMIQVE VIRI D. D. LAVR. IOVBERti, medicinæ apud Monspelienses professoris Regij dignissimi nec non præceptoris sui humanissimi, Commentarios, De facultatibus Natura. De Morb. & Sympt. diff. & causis, item φαρμακευτικὴν & tractatum de Conuulsione, Epigramma Fran. à Sancto Vertuniano Pictauiensis.

*Docta per ora virûm dum, magne Galene, ferentur*
*Culta docent geniū quæ monumenta tuū:*
*Dumque reget nostros artus natiua facultas,*
*Aetherea mentis fontibus hausta sacris:*
*Donec & immanes mortalia pectora morbi*
*Vexabunt, & nos sub sua iura trahent:*
*Donec erunt aliqui mixti medicaminis vsiu:*
*Atque Syruporum copia larga fluet:*
*Docta hæc à doctis æternum scripta legentur.*
*Quæ præmit autoris tarda figura manus.*
*Námque haud Ioubertus libris contentus auorū,*
*Inuentis addit plurima, multa secat.*
*Ex veterum scriptis Ioubertus quærere famam*
*Non nouit, recitat vix aliena lubens.*
*Musa suis pollens opibus, nihil indiga laudis*
*Externæ, fœtus parturit vsque nouos.*
*En tibi testis erit Medicis Conuulsio dicta.*
*Cuius nunc causas primus in orbe docet.*
*O vtinam superum tibi Rex, Iouberte, dedisset*
*Ocia vel flacco, Vergilione data!*

*Quid tua Parthenopè indiscussam linqueret usq;*
*quam.*
*Artibus in Medicis? lumine quidue ca-*
*rens?*
*Eia age quò fugias Lethis immobilis vndam*
*Ne tua tam longa condere nocte velis.*

TIBI DEVS.

## EIVSDEM ALIVD.

DE RONDLETIO ET IOVBERTO, præceptoribus suis obseruantissimis.

*Iam propè desertos cineres & nomina sancta*
*Rondleti coleret, qui benè, nullus erat.*
*Ioubertus medico tandem succurrit agello:*
*Rondletiúsque alter, quid nisi maius, erit.*
*Inde frequẽs illum comitatur Apollinis vmbra.*
*Totaque dicentis pendet ab ore viri.*
*Illius interitu doleat Phœbæa caterua:*
*Istius aduentu gaudeat inque vicem.*

TIBI DEVS.

## VOTVM CVIVSDAM MEDICINÆ candidati.

*Cum sit vita breuis medicinâque longior, arte*
*Vix bene gustata mortis adimus iter.*
*Ergo velim medicũ medicam qui cogeret artem*
*Tardaret mortis præcipitésque manus.*
*Hoc medico medici medicinam discere vellent,*
*Hoc viuo medico viuere quisq; petat.*

Ad votum sic alius respondebat medicinæ Candidatus.

*En Compos voti, precibus perrumpere cœlos,*
*Desine, Ioubertus nam tibi talis adest.*
*Hic artem & scriptis & viua voce coegit*
*Vindicat, & senio corpora præcipiti*
*Quòd si Ioubertus talis quem prædico, certam,*
*Et liber hic faciet, fecit vt ipse fidem.*

In authoris & libri commendationem faciebat A. le T. C. Discipulus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

REN. MORENII PICTAVIENsis Epigramma in schola Laur. Iouberti clarissimi medici Monspel. in libros Galeni de naturalibus facultatibus.

*Si quem tangit amor naturæ noscere motus,*
*Quoque suum vires ordine munus agunt,*
*Insitus vtque calor fœtum conformat & auget,*
*Et partes similes dissimilésque regit.*
*Huc properet, quæ sint olim descripta sub vmbra,*
*Hoc opus obscuris eripit è tenebris.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca